

**VISITA PASTORALE
DI RONCO ALL'ADIGE E ZEVIO
DI GIOVANNI BRAGADINO**

Vescovo di Verona

PRIMA VISITATIO 1744 – Liber Decimus

REGISTRO LXVI



1744

[A margine: RONCHI ET IEBETI]

PRIMA VISITATIO ECCLESiarUM
VERONENSIS DIAECESIS
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI
IOANNIS BRAGADENI EPISCOPI VERONENSIS
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE
PRAELATI DOMESTICI ET CETERA
ASSISTENTIS
LIBER DECIMUS

LXVI

Bernardo Ronchi Cancellario

Scala per la visita di settembre 1744

Da Verona

Miglia 15	a Ronco	anime 971	oratori 6	sabato 26 settembre sera, domenica 27
Stando a Ronco	si visiterà Scardevara	anime 345	lunedì 28, martedì 29	mattina
Miglia 3	a Tomba Sosana	anime 417	oratori 2	martedì 29 sera, merc. 30 matt.
Miglia 7	all'Albaro	anime 331	oratori 2	merc. 30 sera – venerdì 2 ott. matt.
Miglia 3	a Zevio	anime 2376	oratori 15	venerdì 2 sera – domenica 4
Stando a Zevio	visita Perzacco,	anime 480 (domenica 4)	e S. Maria di Zevio,	anime 719 (5-7 matt.)
Miglia 5	a RALDON	anime 404	oratori 3	merc. 7 sera, giovedì 8 mattina
Miglia 7	a Verona	givedì 8	detto, sera.	

INDICE DELLE PAROCHIALI

A – Albaro Santa Soffia, carte 28^v
P – Perzacco San Bortolamio, c. 59
R – Ronco Santa Maria c. 2; Raldon Santa Maria Maddalena c. 79^v
S – Scardevara Santi Filippo e Giacomo, c. 12
T – Tombazosana Sant' Ambrosio, c. 23
Z – Zevio pieve San Pietro, c. 37; Zevio curata Santa Maria, c. 62^v.

INDICE DEGLI ORATORI

A – Sant'Antonio delle Pezze sotto Ronco, c. 10; Sant'Antonio di Padova sotto Ronco, c. 11; Assunzione di Maria Vergine in Canova sotto Tomba, c. 21; Sant'Antonio di Padova sotto Tomba, c. 22; Assunzione di Maria Vergine sotto l'Albero, c. 32; Sant'Antonio di Padova sotto Zevio, c. 47^v; Sant'Antonio Abbate in Rivalonga sotto Zevio, c. 57; Sant'Antonio sotto Raldon, c. 81
B – Beata Vergine Maria de 60 Vergini sotto Zevio, c. 46; San Bortolamio di Perzacco sotto Zevio, c. 62^v; Beata Vergine Maria del Rosario sotto Raldon, c. 82
D – Decolazion di San Giovanni Battista sotto Zevio, c. 50
F – San Francesco in Canton sotto Ronco, c. 10^v; San Francesco in Zenzale sotto Zevio, c. 54; Santi Francesco et Antonio del Bosco sotto Zevio, c. 54^v – San Francesco in Rivalonga sotto Zevio, c. 57; San Francesco in Campagna sotto Zevio, c. 57^v
G – San Giorgio dal Corso sotto Ronco, c. 8^v; San Giuseppe sotto l'Albero, c. 32^v; San Giuseppe de 60 putti sotto Zevio, c. 45
L – Santi Lorenzo e Lucia sotto Zevio, c. 48^v
O – Oratorio privato Sagramoso sotto Zevio, c. 67^v
P – San Procolo sotto Zevio, c. 58
S – Santo Spirito sotto Zevio, c. 54^v
T – Santissima Trinità sotto Ronco, c. 7^v; Santa Toscana sotto Zevio, c. 49^v; Santissima Trinità in Volon sotto Zevio, c. 56
V – San Vital delle Mote sotto Ronco, c. 9t; San Vincenzo sotto Raldon, c. 81^v

[1] In nomine Domini. In Christi nomine amen. Anno ab eius Nativitate millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, indictione septima, die vero sabbathi vigesimo sexto mensis septembris, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti, divina providentia papae decimi quarti, anno eius quinto. Illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, volens, pro munere sui pastoralis officii et decretorum sacri tridentini Concilii executione, primam suam pastorem visitationem ecclesiarum suae veronensis diaecesis quantocius explere, hoc anno pro secunda vice eidem pastoralis visitationi ecclesiarum infrascriptarum operam dare decrevit. Itaque, earum rectoribus visitatione de more indicta medio generalis edicti nec non litterarum particularium praemissisque duobus reverendis patribus missionariis ex strictiori observantia sancti Francisci, sumptis secum reverendissimo domino Petro Antonio Albertinio iuris utriusque doctore, provicario suo generali, admodum reverendo domino Iosepho Mezzanino archipraesbytero Sancti Ioannis ad Forum Veronae et caeremoniarum magistro meque visitationis notario eiusque cappellanis et aliquibus ex suis familiaribus, hac eadem die post prandium in cathedralem suam ecclesiam augustissimum Eucharistiae sacramentum adoraturus descendit. Adoratione expleta, rhedam suam conscendit et ad parochialem ecclesiam plebem nuncupatam Sanctae [1^v] Mariae de Ronco iter direxit. Ad confinia Ronchi perventus, praesto ei fuerunt plurimi milites loci, tum equestres tum pedestres, militari ordini procedentes ac ibidem, ex equo descensus, dominus syndicus communitatis praedictae, humilima sui et populi ipsius loci obsequii officia suae illustrissimae et reverendissimae dominatoni obtulit, quibus benigne ab illustrissimo et reverendissimo praesule exceptis, iter ipse prosecutus est ad edes usque parochiales; nam frequentissima pluvia impedimento fuit ne universus populus et discipuli praesertim doctrinae christianae ea pastori suo amantissimo amoris et reverentiae argumenta, ad quae iam omnes parati erant, ut quam maxime cupiebant, praeberent. In edibus ab admodum reverendo archipresbytero et eius clero summo obsequio exceptus, ibidem etiam suam obedientiam erga ipsum protestati sunt. Illustrissimus autem et reverendissimus dominus dominus episcopus cubiculum sibi paratum ingressus, quieti primum ac deinde somno incenatus indulgit. Die dominico 27 mensis septembris 1744. Facto mane omnibusque in ecclesia dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad portas aedium parochialium venit ibidemque sub baldachino a sex loci principioribus gestato receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus, porrectam sibi ab admodum reverendo archipraesbytero pluviali induto, crucem adoratus et deosculatus est, Clero processionaliter praecedente et solita decantante, ecclesiam parochialem antedictam adivit,

[2] [a margine RONCO] in cuius limine sistens populum frequentem aqua lustrali aspersit, et thurificationis honorem recepit. Ante altare maius stratus divinum Sacramentum adoravit recitatisque interea recitandis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impertitus est. Mox ad thronum sibi in latere evangelii altaris maioris decenter paratum venit, in quo, pontificalibus violacei coloris apparatus vestitus, exequias pro defunctis tam in ecclesia quam in cemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit, persolvit. Dimissis violaceis albisque vestibus sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in duabus pixidibus argentea una tota, altera argentea in cupa tantum, suis conopeis rite instructis; vidit etiam tertiam parvam pixidem argenteam pro communicandis infirmis distantibus nec non ostensorium radiatum argenteum rite instructum, quae sacra vasa a domino archipraesbytero comparata fuerunt, clericis ex eorum charitate concurrentibus. Ex factis perquisitionibus habuit hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; expositionem fieri in sextis feriis Quadragesimae et omnibus diebus dominicis a festo Pentecostes usque ad festum nativitatis beatae Virginis Mariae piorum impensis; processionem fieri in die [2^v] Corporis Domini, quo die etiam fit expositio et fieri quoque processionem dominicis tertiis mensis, sed quoties per tempus licet; sub hac cura habere animas a communione 625, in totum vero 971 nullumque - Dei gratia - extare innobedientem Ecclesiae praecepto. Schedas communicatis in Paschate distribui, et subinde colligi; dum ad infirmos hoc Sacramentum deferendum est, data opportunitate dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari, pro qua decenti associatione extant necessariae suppellectiles, quas vidit et visitavit quaeque descriptae sunt in policea quam, una cum aliis pro executione aedicti praesentis visitationis, admodum reverendus archipraesbyter obtulit et in fine huius libri ego notarius reposui sub littera A. Populo subinde hoc ipso Sacramento benedixit et supra biscentum utriusque sexus christifideles eodem eucharistico Pane refecit. Reposito divino Sacramento, sacerdotalibus vestibus indutus, inter tubarum clangores missam celebravit, qua absoluta quamplures etiam utriusque sexus christifideles communicavit. Dimissis sacerdotalibus indumentis actisque Deo optimo maximo gratiis, visitavit olea sancta, quae servantur in eorum custodia in cornu evangelii posita et rite constructa viditque eorum vascula maiora ex stamno, servata in

capsula ex nuce, quae tuto clauditur sera et clavi quaeque [3] olea sancta recipiuntur a cathedrali. Vidit etiam vascula minora eorumdem oleorum sanctorum, quae sunt argentea et omnia ad sacrorum rituum formam confecta conspiciuntur. Vidit fontem baptismalem, in cappellula in calce ecclesiae iuxta ianuam maiorem positum, rastris ligneis clavi munitis clausum et bene tentum. Visitavit duo confessionalia, in hac ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Vidit etiam et visitavit sacras reliquias, positas in duabus arcibus ligneis auro in parte anteriori linitis et chrystallo munitis, in quorum altero sunt ex craneis sanctorum Christi martyrum Fructuosae, Urbani et Placidae, in altero vero ex craneis sanctorum quoque Christi martyrum Redenti, Victoriani et Nominandi, sigillo et documento huius curiae diei 11 novembris 1710 munitis. His actis, visitavit altare maius, in mensa marmoreum cum portatili, in reliquis partibus ligneum, in quo extat tabernaculum ligneum inauratum. Hoc altare manutinetur de omnibus ab admodum reverendo domino archipraesbytero et dominis clericis huius plebis, in quo nulla est obligatio missarum sed in eo dominus archipraesbyter celebrat et diebus festis missam applicat, iuxta canonicas constitutiones, pro populo. Altare sanctorum Francisci et Caroli, ligneum cum mensa tantum [3^v] marmorea habetque adhuc portatile non ad mensuram canonicam et in eo nihil executum quod ordinatum fuerit in postrema visitatione gradonica anni 1716. Hoc altare modo est de iure nobilium dominorum comitum Iginulphi de Lisca et Aloysii Negrelli tamquam haeredum quondam nobilis domini marchionis Ioannis Pauli Fumanelli, in quo est obligatio celebrari faciendi unam missam in singula hebdomada, pro quo onere praedicti patroni solvunt domino archipraesbytero ducatos duodecim de grossis annuatim, qui oneri adimplet. Ex postrema supra relata visitatione nec non ex relatione in eadem quondam reverendi domini Riccomedori Collini, tunc temporis huius ecclesiae archipraesbyteri, constat in hoc ipso altari fuisse beneficium simplex, pro quo missa una in hebdomada esset celebranda, sed nullus est modo qui huic oneri satisfiat et interrogatus dominus archipraesbyter an cognoscat vel sciat ad quos onus istud spectet, respondit omnino se nescire; quapropter illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus eundem dominum archipraesbyterum monuit ut curet, quantum fieri possit, ne institutoris huius beneficii pia voluntas defraudetur. Cum vero observasset idem illustrissimus et reverendissimus praesul nihil executum fuisse de ordinationibus factis in praedicta visitatione anni 1716, hoc ipsum altare suspendit et suspensum declaravit, donec de iis omnibus ut supra ordinatis provideatur et ordinationes praedictae [4] omnino exequantur et interim missae celebrentur in altari maiori huius ecclesiae. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum cum portatili et imagine beatae Virginis Mariae, ex ligno sculpta sub crystallis servata, de iure societatis eiusdem beatae Virginis Mariae a Rosario, a qua manutinetur et quae societas habet redditus prout patet ex libro Scodarolo nuncupato anni 1744, exhibito a Ioanne Mantoani, massario ipsius societatis viso et restituto, scilicet exigit ab Antonio dall'Aqua tronos 41.12, ab Antonio Prospero de Zerpa tronos 11.10, ab Andrea Rosa tronos 40, ab Alexio Scappin tronos 2.8, ab Angelo Dallera tronos 66, ab Antonio et nepote Cabrini tronos 6.13.6, a Ioanne Baptista Trevisan de Blondis tronos 20, a Ioanne Baptista et fratre Piglialepore tronos 54, a Dominico et fratre Bettini tronos 24.16, a Dominico Carlesco tronos 5, a domino Donato Angelo Pesena tronos 232.6, a Dominico Cogni tronos 31, a nobili domino Francisco Clementi tronos 70, a Francisco Cabrini tronos 16.10, a Ioanne Maria Gobbo et Dominico Bettini tronos 31, a Ioanne Niero tronos 2.8, a Iosepho et Antonio fratribus Agnoletti tronos 10, [4^v] ab heredibus quondam nobilis domini Marci Antonii Sparavieri tronos 5.6.6; ex quibus omnibus coalescit summa tronorum sexcentum septuaginta, marculorum decem. Cum vero observasset ex duabus tabulis positis in sacristia descriptas obligationes quibus haec societas obnoxia est et, factis computis, cognovisset expensas pro iis obligationibus supplendis superare redditus supradescriptos, interrogavit massarium et officiales reggentes eandem societatem aliosque viros qui olim in iisdem officiis fuerunt cur haec societas tot redditus non habeat quot sufficere possint ad supplendas obligationes descriptas in praedictis tabulis et ab iis responsum fuit duo capitalia periisse, alterum ducatorum mille ducentorum, quod erat investitum in bonis quondam baronis Turchetto, alterum ducatorum quingentorum in bonis [manca] Manega, praeter agros ex Athesis alluvione in paludes conversos, ex quibus nihil percipit societas; nescire autem huiusmodi capitalia et agri quibus peculiaribus obligationibus sint subiecti; qua responsione intellecta, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus praedictos massarium et officiales monuit ut, quantum fieri poterit, investigent documenta ex quibus dignoscantur et obligationes particulares et capitalia particularibus obligationibus iisdem subiecta, ad hoc ut obligationes ipsae reducantur quatenus reduci debeant ac provideatur in [5] reliquis prout de iure, sibi – peracta visitatione – resservans sicuti in ipsa visitatione reducere et providere prout et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Altare sanctorum Bernardini et Laurentii, quod habet mensam marmoream, caeteras eius partes ligneas, cum portatile et icone depicto, de iure nobilium dominorum Laurentii et fratrum Manuelli, in quo est obligatio unius missae in singula hebdomada, quae describitur in

praedicta relatione Collini, pro qua solvunt admodum reverendo domino archipraesbytero ducatos duodecim de grossis et reverendus dominus Dominicus Gropella satisfacit celebrationi missarum. Altare beatae Virginis Mariae, olim de iure dominorum de Guareschis, deinde nobilis dominae marchionissae Iuniperae Guareschae Spolverini, nunc domini Vincentii de Marinis, uti emptoris universitatis bonorum, ut fuit assertum, quae in hoc loco Ronchi possidebantur a praedicta familia Guarescha, a quo de omnibus manuteneretur. Hoc altare est marmoreum in mensa, cum portatili et icone depicto, in reliquis partibus ligneum. In hoc altari fuisse obligationem duorum anniversariorum missarum duodecim ex legato quondam domini Bartholomaei de Guareschis, ut in praedicta visitatione anni 1716 relatio constat, in qua visitatione monitum fuit ut via iuris cogantur ii qui ad id tenentur ad ipsum legatum adimplendum. Cum vero interrogatus esset admodum reverendus dominus archipraesbyter an executum fuerit admonitio praedicta [5] et ipse respondisset, ex eo tempore quo ad hanc ecclesiam venit, numquam executum fuisse ab aliquo huiusmodi legato, illustrissimus et reverendissimus praesul vocavit dominum Vincentium de Marinis illumque monuit, quatenus ipse possideat bona eidem legato obnoxia, ut pro sua conscientia satisfaciat vel saltem, quatenus non possideat, curet ut ab iis ad quos spectat satisfiat, cum ipse huius altaris patronus factus sit. Altare sancti Michaelis arcangeli seu Corporis Domini, de ratione communitatis huius loci, a qua manuteneretur, quod fuit constructum impensis pro medietate domini archipraesbyteri et pro altera medietate ipsius communitatis, ut in visitatione anni 1654; est marmoreum cum portatili et icone depicto. In hoc altari extare societatem Corporis Domini traditur in postrema visitatione anni 1716, prout etiam in visitationibus annorum 1654 et 1662. Ex libris huius societatis, quos eiusdem cancellarius ostendit, nihil redditus eidem esse videtur; nam alios libros ipsa societas non habet nisi librum sessionum et librum in quo nomina confratrum describuntur. Traditur autem, si qui sint huius societatis redditus, eos confusos esse cum redditibus societatis Rosarii, prout etiam inhuitur in praecedenti visitatione anni 1716, ubi etiam dicitur utrasque societates ab iisdem gubernatoribus regi. Nunc vero utraeque [6] a distinctis regentibus gubernantur. Praedictus cancellarius huius societatis obtulit libellum manuscriptum, in quo continentur quadam capitula concernentia temporale gubernium eiusdem societatis, quae ita exarata fuerunt quasi de novo esset societas ipsa erigenda, cum alias constet ipsam iamdiu olim erectam fuisse; quapropter, cum nihil desit eius canonicae institutioni, societatem ipsam illustrissimus et reverendissimus praesul, ut canonice iam erectam, declaravit et confirmavit. Societas haec nihil impendit pro suppellectilibus necessariis pro cultu divini Sacramenti, sed confratres suis cappis rubeis induti, cum candellis cereis accensis, prosequuntur idem sanctissimum Sacramentum quoties defertur. Sex autem intortitia deferuntur in his functionibus, quarum duo suppeditat dominus archipraesbyter, duo communitas, duo demum societas Rosarii. In hoc altari sancti Michaelis communitas haec celebrare facit singulis diebus festis sacrificium iuxta antiquam consuetudinem ac praeterea duodecim circiter missas in die festo apparitionis eiusdem sancti Michaelis idque – ut fertur – ex voto ipsius communitatis. Altare patrocinii beatae Virginis Mariae seu Gratiarum, marmoreum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, sub crystallis servata, de iure admodum reverendi domini archipraesbyteri, a quo manuteneretur et pii etiam fideles concurrunt ex eorum [6] elemosynis; in hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Altare beatae Virginis Mariae septem Dolorum seu sanctorum Zenonis et Theresiae, de iure familiae nobilium de Clementibus, marmoreum cum portatili et icone depicto. Quot annis admodum reverendus dominus archipraesbyter ex praedicta nobili familia accipit stipem ducatorum duodecim de grossis pro celebranda una missa in singula hebdomada et ipsemet dominus archipraesbyter satisfacit. Reverendus dominus Antonius Crema, qui fuit archipraesbyter huius plebis, dotavit hoc altare et ex parte capitalis decretum fuit ut missa in singula hebdomada celebraretur, prout videre est in visitationibus annorum 1654 et 1662. Quibus actis, in edes antedictas se se recepit, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 27 mensis septembris 1744 post prandium. Congregatis per solita signa in parochiali ecclesia pueris, puellis ac operariis doctrinae christianae pro huiusmodi sancti operis exercitio, in eandem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali descendit adoratoque divino Sacramento antedictis sancti operis exercitio incubuit ac per varias interrogationes pueris, puellis ac adultis per admodum reverendum dominum archipraesbyterum de suo mandato factas circa principaliora fidei mysteria aliaque ad aeternam salutem necessaria, plurimos eorum, non sine animi sui maerore, parum edoctos invenit; cumque huiusmodi defectus non ex admodum [7] reverendi domini archipraesbyteri solerti cura quam adhibet in docendo populo, sed ex negligentia istius qui refugit audire verbum Dei viasque salutis cognoscere, hortatus est enixe tam pueros quam adultos et praecipue operarios omnes, ut in tam necessario operi attentius in dies dent operam, ut iram Dei viventis evitent, a quo districtum iudicium assequuntur, nisi divinam legem et fidei dogmata non didicerent praecepitque eidem domino archipraesbytero ne deinceps

neminem ex sua parochia in matrimonio coniungat qui non caleat eadem doctrinam christianam, sub poenis arbitrio suo infligendis. Officiales huius scholae doctrinae christianae obtulerunt et praesentaverunt libros eiusdem scholae, ex quibus cognovit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus non adamussim observari regulas doctrinae christianae aeditas a suis praedecessoribus, quas observandas etiam sua auctoritate nuper decrevit ipsemet serenissimus princeps in eius ducalibus litteris, ab excelso consilio de Decem missis die 26 aprilis 1743. Quapropter eosdem monuit ut deinceps eadem regulae maiori cura exequantur. Haec schola habet privilegium pontificium pro animabus defunctis confratrum et consororum ipsius scholae, adnexum altari beatae Virginis Mariae Gratiarum pro die commemorationis Defunctorum, singulis diebus intra illius octavam ac sabbatho cuiuslibet hebdomadae, ut ex brevi diei [7^o] 22 novembris 1740, ad septennium dato, in hac curia viso et approbato. Dimissa schola doctrinae christianae, visitavit sacristiam et in ea calices, patenas aliaque vasa et apparamenta sacra, quae descripta sunt in policea exhibita et in fine huius libri sub littera A reposita quaeque servantur in armariis ligneis, recte dispositis. [A margine: Santissima Trinità] Visitavit subinde publicum oratorium sub titulo Sanctissimae Trinitatis, de iure confraternitatis disciplinatorum, situm infra limites parochialis Ronchi. In eo unicum vidit altare, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum, quod – prout oratorium ipsum – de omnibus manutenetur a societate praedicta. Haec societas asseritur instituta tempore Augustini Valerii episcopi veronensis et olim erat in ecclesia Sanctae Catharinae infra limites huius plebis, quae ecclesia modo est profanata. Confratres huius societatis induunt saccum album cinctum fune, a qua pendet disciplina ferrea, qua confratres ipsi utuntur, agentes poenitentiam temporibus statutis iuxta eorum institutum. Confratres ipsi modo sunt ad numerum 85, quorum tamen societas nullos habet redditus neque onera. Vidit libros eiusdem societatis eosque visitavit, inter quos capitula efformata a quondam Matthia Tomasi, olim archipraesbytero huius plebis, ex ordine illustrissimi et reverendissimi [8^o] Alberti Valerii, uti coadiutoris cardinalis Augustini Valerii eius patru, quorum praecipuus finis est ut confratres non modo solliciti sint de propria eorum salute, verum etiam de salute suorum proximorum ac praesertim in docendo doctrinam christianam et scholam eiusdem coadiuvando; quapropter illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus eos monuit ut finem sui instituti omni studio ac diligentia assequantur, cum eorum ipsum institutum non in solitis precibus fundendis aut in vestiendo sacco sit, sed praecipue in procuranda sua et aliorum salute. Habet societas ipsa diploma pontificium Innocentii papae X, datum Romae anno 1655 idibus maii, quo illius confratribus indulgentiae perpetuae conceduntur. In hoc ipso oratorio, prope ianuam maiorem, extat sedile et armarium scholae doctrinae christianae huius plebis, ubi servantur libri et utensilia ipsius scholae. Hic etiam exercetur schola praedictae doctrinae pro maribus; nam in ecclesia parochiali exercetur pro feminis. Ordinata. Construat in hoc oratorio sacristia et ipsa provideatur de omnibus necessariis. Quibus persolutis, in aedes parochiales restitutus quieti se tradidit et incenatus obdormivit. Die lunae 28 mensis septembris 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus in praefatam parochialem [8^o] ecclesiam se contulit, in qua, pia emissa praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium celebravit et quamplures utriusque sexus christifideles angelorum Pane refecit ac supra centum itidem utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Dum haec agerentur, reverendissimus dominus provicarius generalis, una cum me notario, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta. [A margine: San Giorgio] Et primum, visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Georgii a Cursu, alias de iure canonicorum Sancti Georgii in Alga iam suppressum, nunc de iure reverendarum monialium carmelitarum sanctae Theresiae, existentium in monasteriis Venetiarum, Paduae, Vincentiae et Veronae, quae pro equali parte fruuntur redditibus agrorum in hoc loco existentium, ipsis monialibus relictorum a quondam reverenda matre Maria. Hoc oratorium unicum habet altare, marmoreum in mensa cum portatili, antipectile ex corio aurato et icone depicto, in quo praeter imaginem santi Georgii aliae quoque depictae sunt imagines, inter quas praesertim sanctorum Theresiae et Ioseph, in reliquis ligneum. In hoc oratorio est obligatio missae quotidianae cum libertate unius missae in hebdomada, ut constat ex praecedentibus visitationibus; a monialibus tamen nunc temporis – ut assertum fuit – celebrari tantummodo fit missa singulis diebus festis et aliae missae viginti sex diebus ferialibus, [9^o] quas missas celebrat reverendus dominus Ioseph Zaffaina, curatus Tumbae Zosanae; quapropter reverendissimus dominus provicarius generalis monuit reverendum dominum Bartholomaeum Bertagna, procuratorem antedictarum reverendarum monialium, ibidem praesentem ut, adhibita diligentia, documenta colligat eaque peracta visitatione, Veronae praesentet sibi ad hoc ut dignoscatur onus ad quod moniales tenentur et decernatur quidquid et cetera et interim mandavit ut, iuxta expressionem praecedentium visitationum, missa quotidiana celebretur. [A margine: Vide comparitionem et decretum in fine sub littera A] Observavit deinde et invisitavit in hoc oratorio confessionale mobile, in quo praedictus reverendus Zaffaina sacramentales confessiones audit, de licentia

admodum reverendi domini archipraesbyteri Ronchi, cuius voluntate ipsum confessionale positum fuit, ad eius arbitrium ibidem remanendum. Vidit etiam amygdalam argenteam, intus inauratam riteque confectam, intra bursam auro intextam nec non umbellam, tria fanalia ac thronum in quo collocatur divinum Sacramentum quoties ad infirmos defertur; vellum etiam super humerale, quae omnia pietas reverendarum monialium comparavit et admodum reverendus dominus archipraesbyter praedictus suo arbitrio iis utitur vel ut iis alius sacerdos utatur concedit, ad administrandam sanctissimam Eucharistiam infirmis. Vidit etiam capsulam in qua colliguntur eleemosynae pro animabus purgatorii, ibidem de licentia praedicti admodum reverendi archipraesbyteri [9^v] positam, clausam tuta clavi, quae clavis servatur poenes ipsummet dominum archipraesbyterum, qui hanc capsulam ea conditione concessit ut ipse tamen, privative quoad alium, clavem eius servaret. Vidit denique sacristiam, iuxta ianuam oratorii erectam et in ea apparamenta et vasa ad sacrum faciendum necessaria quaeque descripta sunt in pollicea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram A. Cum vero oratorium et sacristiam visitasset, cognovit non modo ordinationes praecedentium visitationum adimpletas fuisse, verum etiam ita abundanter et ornate omnia comparata esse quae ad cultum divinum in hoc oratorio exercendum spectant, ut exinde monialium praedictarum devotio et pietas maxime eluceat. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Vitale] Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Vitalis, in contrata *delle Mote* seu *della Maza* nuncupata, infra limites parochialis Ronchi, de iure nobilis domini Alberti Vitalii. Unicum habet altare, ex muro constructum cum portatili et icone depicto, in quo nullam adesse obligationem missarum assertum fuit; in eo tamen nobilis dominus patronus celebrare facit ex devotione ac praesertim dum ipse in hoc loco moratur. Visitavit sacristiam et in ea suppellectiles et vasa ad sacrum faciendum necessaria, de quibus sufficienter [10] provisum invenit quaeque descripta leguntur in pollicea ab ipso nobili domino patrono exhibita et in fine huius libri ad litteram A reposita. Ordinata. Rimulae circum portatile obturentur – exequantur ordinationes praecedentis visitationis de providenda planeta nigri coloris et de ramatis ad fenestras ponendis. Quibus habitis et cetera. [A margine: Sant'Antonio di Padova] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Antonii Patavini, in contrata *delle Pezze* nuncupata, situm infra limites parochialis Ronchi, de iure nobilium dominorum Ruberti et fratrum Polfranceschi, in quo est unicum altare, marmoreum cum portatili et icone depicto et in quo est obligatio missae quotidianae instituta – ut refertur in visitatione anni 1716 – a quondam nobili domino Horatio Polfranceschi, cui satisfit per reverendum dominum Bernardinum Ferrari cappellanum. Vidit sacram reliquam sancti Antonii patavini, in theca argentea chrysallo in anteriori parte munita et sigillo, in cera rubra hispanica impresso, illustrissimi et reverendissimi domini domini nuncii Baccarii episcopi bozanensis, olim almae Urbis vices gerentis, cuius patentes litterae servantur – ut asseruit reverendus cappellanus – poenes patronos huius oratorii. [10^v] Vidit ibidem umbellam et thronum nec non velum superhumerale, quibus utitur admodum reverendus dominus archipraesbyter vel alius sacerdos ab eo delegatus, ad infirmos in hac partes existentes communicandos. Vidit etiam confessionale mobile, in hoc ipso oratorio ex voluntate praedicti domini archipraesbyteri tentum, pro usu suorum parochianorum, quod ibidem servatur ad ipsius domini archipraesbyteri arbitrium. Vidit et visitavit sacristiam, in cornu evangelii sitam et in ea apparamenta et vasa sacra, quibus satis ornate ditata est quaeque leguntur in inventario exhibito et in fine huius libri posito sub littera A. Adest in eodem oratorio ostium quod tendit in aream patronorum quodque asseritur in praecedenti visitatione 1716 auctoritate apostolica constructum. Ordinata. Exequantur ordinationes postremae visitationis anni 1716 de labello et manutergio in sacristia semper servando et de ramatis ad fenestras iuxta ianuam ponendis. Quibus habitis et cetera. Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Francisci de Assisio, situm in contrata Cantoni, infra limites parochialis Ronchi, de iure nobilium dominorum reverendissimi Ferdinandi canonici et nepotum Manuelli veronensium. In eo unicum [11] [a margine: San Francesco d'Assisi] est altare, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto a Paulo Farinato, in reliquis ligneum, in quo nulla est obligatio missarum; tamen in eo celebrat reverendus dominus Antonius Merlo, ex devotione nobilium patronorum, diebus festis et etiam saepius per hebdomadas. Retro altare vidit locum pro sacristia, in quo servantur apparamenta et vasa descripta in pollicea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram A; eaque vidit exposita, quibus satis ad sacrificium celebrandum est instructa. Observavit a parte epistolae adesse portam ostii tendentis in aedes rusticas de ratione praedictorum nobilium dominorum patronorum et interrogavit num additus pateat in praedictas aedes responsuramque fuit praedicto reverendo cappellano minime patere, cum retro ipsam portam ostium muro sit obturatum, quod factum revera esse cognovit. Ordinata. Exequatur ordinatio in postrema visitatione anni 1716 facta de providenda planeta nigri coloris. Quibus habitis et cetera. [A margine: Sant'Antonio di Padova]. Visiavit publicum oratorium sub titulo Sancti Antonii Patavini, infra limites parochialis Ronchi, de iure nobilium dominorum Laurentii et fratrum Manuelli veronensium. Unicum in eo est altare, marmoreum in mensa cum portatili et

tabula depicta, in reliquis ex muro et gypso elaboratum, [11^v] in quo nulla est obligatio missarum, sed in eo celebrat reverendus dominus Dionysius Moretti diebus festis, ex ipsorum patronorum devotione. Hoc oratorium nuper restauratum fuit, cum licentia huius curiae episcopalis diei 7 huius mensis septembris, exhibita, visa et restituta et cetera. Vidit etiam sacras suppellectiles et vasa sacra ad missae sacrificium necessaria, de quibus sufficienter et decore provisum invenit, cum praesertim ordinationes postremae visitationis anni 1716 executae appareant. Ordinata. Prope hoc oratorium construatur locus pro sacristia et in eo omnia ponantur quae ad ipsam sacristiam pertinent iuxta sacros ecclesiae ritus - in frontispicio ipsius ecclesiae erigatur crux ferrea. Quibus habitis, ad aedes parochiales iter direxit. In itinere vero vidit et visitavit locum ubi erat oratorium Sanctae Catharinae martytis apud agerem Athesis inter Scardevariam et Roncum, de quo in postrema visitatione anni 1716. Hoc oratorium, supplicationibus reverendarum monialium Sancti Ioannis evangelistae Veronae usque sub die 6 maii 1738 porrectis, profanatum et demolitum fuit et, in actu concessionis pro huiusmodi demolitione ab hac curia relaxatae die 11 iulii eiusdem anni 1738, iniunctum fuit ut in medio illius [12] situationis columna lapidea cum cruce ferrea in eius apice erigeretur, ob reverentiam loci; nunc vero, cum praeceptis adhuc paritum non fuerit, quin immo locus religiosus in quo erat oratorium ipsum non distinguatur a profanis locis illi proximis, ordinavit ut exequantur iniuncta in praedicta concessione per praedictas reverendas moniales Sancti Ioannis evangelistae a Beveraria, termino unius mensis post notitiam illis datam de praesenti decreto et insuper, circum ipsum locum ubi erat oratorium, terra effodiatur ut appareat distinctum esse a locis circumiacentibus, aliter – termino elapso – procedetur contra moniales, prout de iure et cetera et ita et cetera. Hisce absolutis, ad aedes parochiales regressus, in quibus etiam idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus restitutus, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 28 mensis septembris 1744 post prandium.

[A margine. SCARDEVARA] Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum reverendissimo domino suo provicario generali, ceremoniarum magistro, me notario coeterisque suis familiaribus, se contulit ad visitandam parochialem ecclesiam Sanctorum Iacobi et Philippi de Scardevaria, quae est filialis plebanae ecclesiae de Ronco et de iure patronatus eligendi et praesentandi admodum reverendi archipraesbyteri pro tempore eiusdem plebis Ronchi. Suae illustrissimae et reverendissima dominationi praecedebant milites tum equestres tum pedestres loci de Ronco nec non admodum reverendus archipraesbyter [12^v] et eius clerus, tubicinis clangentibus praeaeuntibus. Ad ecclesiam hanc Scardevariae perventus, in eius ingressu praefatus admodum reverendus archipraesbyter Ronchi chota et stolla indutus, adsistente reverendo rectore huiusmet ecclesiae nec non reverendo cappellano aliisque ecclesiasticis Ronchi, obtulit eidem aspergillum, quo benedictus aqua lustrali fuit populus ab ipsomet illustrissimo et reverendissimo praesule, qui deinde, augustissimo Sacramento in ecclesia venerato, pontificalibus indutus vestibus, ad exequias persolvendas pro defunctis descendit et coemeterium visitavit; quo facto, dimissis violaceis albisque sumptis, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, adsistente semper admodum reverendo domino archipraesbytero plebano illudque vidit repositum in pixide argentea, quae habet operculum et pedem cupreum inauratum, in tabernaculo ligneo auro linito servatum et sub sera et clavi, quae est argentea, tute custoditum. Interrogavit reverendum rectorem de infrascriptis, scilicet an statutis temporibus hoc Sacramentum renovetur; an sit aliquis inconfessus seu innobediens in Paschate praecepto ecclesiae; schedas distribuat; in sero dentur signa quando ad infirmos est deferendum et indulgentias associantibus concessas publicet et cetera responditque ea omnia quae ad sacros ritus pertinent a se omnino peragi. [13] Sub hac cura habere animas a communione 174, in totum vero 345 nullumque vero adesse inconfessum aut ecclesiae praeceptis innobedientem; expositionem huius Sacramenti fieri diebus dominicis tempore quadragesimali et diebus dominicis a festo sanctae Crucis mensis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis mensis septembris. Processionem vero singula dominica prima mensis ac etiam in die octava Corporis Domini; nam in die solemnitatis eiusdem Corporis Christi accedit ad plebem ut assistat admodum reverendo domino archipraesbytero in functionibus; impensae autem huiusmodi functionum fieri solent pro medietate concurrente reverendo rectore, pro altera medietate communitate huius loci. Lampadem continuo ante idem Sacramentum ardere asseruit idem reverendus rector, a quo oleum pro ipsa manutinetur; cuius etiam impensis altare hoc manutinetur; ecclesia vero manutinetur a communitate, una cum societate Assumptionis beatae Virginis Mariae pro tertia parte; nam aliae tertiae partes spectant ad ipsam communitatem; reliqua duo altaria manutinentur ab eorum respective patronis. Vidit ostensorium ex cupro argento linito et intus habet lunulam argenteam inauratam. Vidit etiam amygdalam argenteam intus inauratam, quae tamen tuto modo non clauditur. [13^v] Vidit umbellam, fanalia caeteraque necessaria pro decenti associatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos, ut in pollicea quam reverendus rector, una cum aliis, obtulit mihi notario et in fine huius libri posui ad litteram B, de quibus providet societas beatae Virginis et

communitas, prout etiam provident de intortitiis, cum non sit societas eiusdem sanctissimi Sacramenti, cui tamen supplet societas ipsa beatae Mariae Virginis. Vidit thronum comparatum iuxta ordinationem praecedentis visitationis anni 1716. Visitavit olea sancta, quorum vascula maiora sunt stamnea et existunt in capsula ex nuce, in quibus eadem olea recipiuntur a plebe Ronchi matrice. Vidit etiam vascula minora pro iisdem oleis sanctis. Vidit et visitavit fontem baptismalem, in cornu evangelii altaris maioris positum, in cappellula rastris ligneis clausa, tuta clavi munitis. Cum vero observasset baptisterium positum iuxta altare maius atque adeo in loco a sacris ritibus reprobato, vocavit ad se consiliarios huius communitatis et eosdem hortatus est ut alibi in ecclesia ipsa et iuxta ianuam maiorem transferatur. Vidit unum confessionale pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus, in hac ecclesia tentum et rite instructum. Visitavit subinde altare maius, marmoreum in mensa, [14] quae est consecrata, in reliquis ligneum, quod manutenetur ut supra dictum est. Hoc altare est consecratum, ita etiam ecclesia haec, cuius consecrationis anniversaria dies celebratur in die prima dominica mensis augusti. Nulla in hoc altari adest obligatio missarum, sed reverendus rector in eo celebrat et diebus festis applicat pro populo. Altare Assumptionis beatae Mariae Virginis, marmoreum cum portatili et icone depicto, quod est eleganter constructum, de ratione societatis sub eodem titulo, a qua de omnibus manutenetur. Societas praedicta, ut constat ex libro eiusdem reddituum praesentato, viso et restituto, habet redditus tronorum 819.4 circiter, pro quibus habet obligationem celebrari faciendi quotannis missas ducentas et octo pro diversis legatis, descriptis in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera B et quatuor officia singula missarum decem nec non dispensandi pauperibus huius loci duo minalia panis, quae omnia ab eiusdem societatis reggentibus adimpleri reverendus rector testatus est. Altare sub nuncupatione beatae Mariae Virginis et sanctorum Christophori et Antonii patavini, erectum a quondam domino Christophoro Christini anno 1674. Est marmoreum cum portatili et icone depicto, de ratione familiae Paulini, haeredis praedicti Christini, a qua de omnibus manutenetur. [14^v] In hoc altari est obligatio unius missae in singula hebdomada et a praedicta familia solvuntur ducati duodecim de grossis in anno reverendo rectori, qui oneri satisfit. Interrogatus reverendus rector utrum in hoc ipso altari existat societas Rosarii responsumque ab eo fuit nullam esse huiusmodi societatem in hac ecclesia, sed tantummodo populum ante hoc altare genuflexum consuescere recitare rosarii preces. Visitavit sacristiam et in ea calices, patenas, missalia caeterasque suppellectiles et vasa sacra, quae descripta sunt in inventario exhibito et infine huius libri posito ad litteram B; quae suppellectiles comparantur simul a communitate et societate praedicta Assumptionis, a quibus etiam manutenentur. Congregatis subinde in hac ecclesia pueris et puellis, sancto doctrinae christianae operi incubuit mandavitque reverendo rectori ut per interrogationes circa misteria fidei aliaque ad aeternam salutem necessaria illos experiretur; quod cum peregisset idem reverendus rector, cognovit illustrissimus et reverendissimus praesul ipsos sufficienter edoctos hortatusque est eundem reverendum rectorem caeterosque operarios ut magis in dies huiusmodi sancto et necessario operi dent operam, praemium condignum a Deo optimo maximo recepturos. [15] Visitavit denique totam hanc ecclesiam, sufficientis structurae, divis Philippo et Iacobo apostolis dicatam, in qua vidit etiam suggestum, in quo tamen non concionari asseruit reverendus rector, sed populum accedere ad plebem ad audiendum verbum Dei quando ipse rector idem verbum ex altari illi non explicet. His actis factisque infrascriptis ordinationibus, ad aedes parochiales Ronchi reversus est, in quibus receptus quieti se tradidit et absque cibo obdormivit. Ordinata. Amygdala curetur ut ab artifice tuto modo sit clausa, ne fragmenta sacrae Hostiae ex ipsa amygdala diffluant – comparetur baldachinum deferendum in processionibus sanctissimi Sacramenti – vascula minora oleorum sanctorum renoveantur et eorum opercula claudantur ad formam cocleae – erigatur locus iuxta ianuam maiorem ecclesiae, quo transferatur fons baptismalis – in apice ciborii fontis baptismalis ponatur nova imago sancti Ioannis Baptistae – altare beatae Virginis Mariae et sanctorum Christophori et Antonii patavini provideatur de pulvinaribus decentioribus – appendatur in sacristia scitula pro abluendis sacerdotum manibus ibidemque semper sit manutergium - [15^v] continuo sit in eadem sacristia liber pro describendis missis et in eo quilibet sacerdos celebrans propria manu se subscribat et scribat, exprimendo etiam intentionem pro qua applicaverit – ponatur etiam in ipsa sacristia tabula in qua sint descriptae obligationes quaecumque persolvendae in hac ecclesia, tum a patronis altarium tum a societate et aliis et cetera – provideatur de tela per dimidium ecclesiae extendenda tempore doctrinae christianae, per quam aspectus foeminarum viris impediatur – termino sex mensium scamna et sedilia in hac ecclesia existentia vel sarciantur vel omnino ammoveantur quae sint perfracta. Die martis 29 mensis septembris 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in saepedictam parochialem ecclesiam Ronchi descendit, in qua, pontificalibus indutus, solitis adhibitis ritibus et ceremoniis a pontificali romano traditis, infra missae celebrationem infrascriptum clericum, de legitimo matrimonium natum, in aetate debita constitutum caeteraque requisita

necessaria habentem, ad infrascriptum ordinem legitime promovit, videlicet ad praesbyteratum: dominum Iacobum Capoferri bergomensem, cum brevi extra tempora et dimissionalibus sui illustrissimi et reverendissimi ordinarii diei 18 augusti 1744. [16] Missa absoluta actisque Deo gratiis, plurimos utriusque sexus christifideles communicavit et nonnullis aliis Confirmationis sacramentum ministravit. Quibus peractis, in edes parochiales antedictas receptus, in proprio cubiculo, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: Catharina relicta a quondam Hieronymo Giaferro, Angela uxor Michaelis Brunello, Laura relicta a quondam Dominico Barchi et Helisabeth relicta quondam Iacobi Marchioto, omnes obstetrices huius loci de Ronco, quae, examinatae circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus necessitatis, eas omnes bene edoctas esse reperit. Subinde comparuerunt massarius et consilarii loci Scardevariae, qui, interrogati de vita, moribus et diligentia reverendi rectoris et reverendi curati et an in dicto loco adsint publici peccatores, responderunt reverendum eorum rectorem recte vivere, diligenter munus suum exercere nullumque publicum peccatorem adesse; quoad vero reverendum dominum Gasparem Bertoldi, cappellanum praedictae eorum ecclesiae, esse quidem sacerdotem promptum ad functiones ecclesiasticas, sed facile in contumeliis prorumpere etiam contra consiliarios communitatis, ex quo scandalum oritur et occasio contemptus contra eius dignitatem [16^v] sacerdotalem. Venerunt etiam consilarii communitatis Ronchi qui, interrogati de vita, moribus et diligentia in proprio munere fungendo tam admodum reverendi archipraesbyteri et reverendi curati huius ecclesiae quam aliorum sacerdotum in hoc eodem loco degentium et an in hoc loco sint usurarii, haeretici vel de haeresi suspecti seu alii publici peccatores, responderunt admodum reverendum archipraesbyterum eiusque reverendum curatum esse bonis vita et moribus ac diligenter munus suum exercere caeterosque ecclesiasticos proprio characteri condecens vitam ducere nullumque – Dei gratia – adesse publicum peccatorem. Deinde, cum ex libro foris inscripto “Notanda communitatis Ronchi” a praedictis consiliariis exhibito, viso et restituto et in eius principio cognovisset puellis degentibus saltem per sex annos continuos in hac plebe, quae habeant conditiones ibidem descriptas, quae sunt ad numerum quinque, tempore earum matrimoniorum eleemosynam singulis distribuendas esse ducatorum quinque, praemissis suffragiis secretis ferendis ab admodum reverendo domino archipraesbytero et a quatuor consiliariis, interrogavit eosdem consiliarios utrum id adimpleatur ut descriptum est ibidem; qui cum respondissent non impertiri singulis eleemosynam quinque ducatorum, sed redditum huius pie dispositionis distribui quotannis omnibus et singulis puellis [17] degentibus in hoc loco quae nubunt, ita ut singulis non datur elemosyna quinque ducatorum sed minoris quantitatis, prout earum numerus minor vel maior est. Qua responsione intellecta, monuit illustrissimus et reverendissimus praesul admodum reverendum dominum archipraesbyterum et praedictos consiliarios ut, iuxta descriptas conditiones nec non iuxta quantitatem eleemosynae constitutae, exequantur huiusmodi obligationes, cum integrum illi non sit pias disponentium voluntates commutare seu alterare. Admodum reverendus dominus Ioannes Baptista Ventretti, annorum 60, archipraesbyter huius parochialis ecclesiae Ronchi, quam obtinuit per concursum et ostendit bullas et mandatum executivum diei 10 ianuarii 1725, obtulit mandatum vicariae foraneae in his partibus diei 27 ianuarii praedicti, cum subiectione ecclesiarum in eo descriptarum, excepta illa Albaretti, i; exhibuit quoque libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum, status animarum et congregationum, quos bene tentos et rite instructos esse reperit. Interrogatus subinde de vita, moribus et honestate sacerdotum et clericorum in hac paroecia degentium et an in hoc loco adsint publici peccatores, de omnibus recte respondit. Reverendus dominus Carolus Ghirardi, rector Scardevariae, cum litteris huius curiae episcopalis et mandato executivo diei 15 mensis [17^v] novembris 1741, qui obtulit libros suae curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum et mortuorum, quos visitavit et bene tentos esse vidit. Interrogatus propterea de vita et moribus reverendi sui cappellani et an in eius paroecia adsint publici peccatores, respondit reverendum suum cappellanum honeste vivere nullumque publicum esse peccatorem testatus est. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit praedictum reverendum rectorem ut obsequia debita matri eius ecclesiae et illius admodum reverendo archipraesbytero ea qua debet prontitudine et reverentia praestet ac ut ab immoderato usu vini abstineat, aliter protestatus est iuris remediis in illum se processurum. Reverendus dominus Dominicus Gropella, sacerdos annorum 48, ex diaecesi vicentina cum dimissorialibus sui illustrissimi et reverendissimi ordinarii et mandato huius curiae pro cura animarum ad annum, confirmato die 21 maii 1744, quem monuit ut decenti habitu non modo in ecclesia sed etiam per hunc locum incedat ac praesertim abstineat a quocumque genere vestis secularibus conformis, sed in primis a vestibus non nigris; deinde illum etiam monuit ut ea moderatione animique mansuetudine vivat et cum parochianis versetur quae decet Christi ministrum, a quo discere eos oportet esse mites et humiles corde. [18] Reverendus dominus Antonius Mecllo, sacerdos vicentinus annorum 60, cum dimissorialibus sui

illustrissimi et reverendissimi ordinarii et mandato huius curiae pro cura animarum, ad annum confirmato die 19 augusti 1744, degens in loco Perzacchi sub Iebbetto. Reverendus dominus Antonius Zenoni, simplex sacerdos de Castelletto aetatis annorum 27, modo in hoc loco degens uti cappellanus huius communitatis. Reverendus dominus Dionysius Moretti, sacerdos aetatis annorum 25, cappellanus oratorii Sancti Antonii in contrata Cantoni sub hac paroecia, sed inhabitat Albaretti. Reverendus dominus Gaspar Bertoldi, sacerdos de Sancto Bonifacio diaecesis vicentinae, cum dimissorialibus sui illustrissimi et reverendissimi ordinarii diei 2 decembris 1742, ad annum datis, cui illustrissimus et reverendissimus praesul imposuit discedere ab hac sua diaecesi, ad quem effectum suas eidem restituit litteras dimissoriales. Coram illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo comparuit Bartholomaeus Frugiero, vice prior scholae disciplinatorum Sanctissimae Trinitatis, cum praesentia et assistentia nonnullorum suorum confratrum et, parte ac nomine scholae praedictae, exposuit confratres suae scholae ab immemorabili tempore consuevisse praeferre in processionibus, quotiescumque ipsi conveniunt, imaginem sanctissimi Crucifixi; cum vero nuper confratres scholae sanctissimi Sacramenti [18^v] cappas induissent, ipsi quoque praetendunt praeferre in iisdem functionibus eandem sacram imaginem, cum eorum institutum respiciat cultum divini Sacramenti, unde signa ab ipsis sunt deferenda ex quibus appareat eorum cultus erga ipsum Sacramentum. Praeterea exposuit eius societatem esse antiquiorem illae sanctissimi Sacramenti, unde competere isti praecedentiam supra illam in processionibus; quapropter humiliter instetit ut a sua dominatione illustrissima et reverendissima huiusmodi controversiae componantur, ad hoc ut utriusque scholae confratres unanimi charitate debitum Deo cultum praestent et ita et cetera. Ioannes Baptista Rossi, vice prior scholae sanctissimi Sacramenti, cum praesentia et assistentia nonnullorum suorum confratrum, audita expositione et iniustitia praedicti vice prioris scholae disciplinatorum, respondit parte scholae suae quoad signum sacrum deferendum se se omnino subiicere decreto illustrissimi et reverendissimi praesulis; quoad vero praecedentiam, instare ut decernatur hanc suae societati competere in omnibus functionibus et processionibus quae concernunt cultum sanctissimi Sacramenti nec non in processione sextae feriae maioris hebdomadae, iuxta consuetudinem qua hucusque sua societas usa est praecedentia et ita et cetera. [19] Praedictus Frugiero, nomine et cum praesentia ut ante, audita et intellecta responsione facta nomine scholae sanctissimi Sacramenti, nihil sibi addendum superiori suae instantiae dixit, se se vero omnino submittens decretis suae illustrissimae et reverendissimae dominationis et ita et cetera. Quibus auditis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus consideratisque utriusque partis instantiis, ad hoc ut inter confratres utriusque scholae vigeat et servetur charitas, controversias inter ipsos vertentes componendo declaravit et decrevit competere scholae disciplinatorum praeseferre in functionibus imaginem sanctissimi Crucifixi; scholae vero sanctissimi Sacramenti competere praeseferre signale eiusdem sanctissimi Sacramenti in omnibus functionibus, prout observatur in aliis scholis rite instructis, exceptis tamen processionibus funeralibus et exceptis processionibus quintae et sextae feriae maioris hebdomadae, in quibus ab ipsis quoque deferenda est imago sanctissimi Crucifixi, prout etiam in aliis processionibus poenitentiae, ut tempore jubilei et huiusmodi, iuxta sacros ecclesiae ritus. Quoad vero praecedentiam, declaravit et decrevit hanc competere scholae disciplinatorum ut antiquiori, exceptis iis functionibus quae concernunt specialem cultum divini Sacramenti nec non excepta functione processionis sextae feriae maioris hebdomadae, iuxta [19^v] consuetudinem hucusque pacifice observatam, declarans etiam in visitatione sepulchri in maiori hebdomada licere praedictis scholis ipsam facere separatim et ita et cetera, omni et cetera. Quo decreto partibus instantibus pronunciato iisdemque vernaculo sermone declarato et ab ipsis intellecto, utraeque eadem scholae eidem non modo aquieverunt, sed ultro citroque illud acceptarunt, se se invicem componentes ac promittentes super his numquam futuris temporibus aliquam quaestionem se moturos. Admodum reverendus dominus archipraesbyter Ronchi antedictus instetit ut per suam illustrissimam et reverendissimam dominationem decernatur reverendum rectorem Scardevariae contribuere debere pro procuratione visitationis suae ecclesiae modo factae, saltem ducatos decem, iuxta decreta in simili occasione facta ab illustrissimo et reverendissimo domino domino Marco Gradonico episcopo praedeccessore in eius visitatione anni 1716, cum ipse dominus archipraesbyter omnibus expensis procurationis suppleverit etiam pro ecclesia Scardevariae et ita et cetera. Reverendus rector autem Scardevariae, ibi praesens, nihil contradixit instantiae praedictae, sed omnino iudicio suae illustrissimae et reverendissimae dominationis se submisit et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit iuxta instantiam [20] admodum reverendi domini archipraesbyteri Ronchi, taxando procurationem spectantem ad ecclesiam parochialem Scardevariae in ducatos decem de grossis et ita et cetera omni et coetera. Quo facto, prandium sumpit et paulisper quievit. Die antedicta 29 mensis septembris 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in antedictam parochialem ecclesiam devenit ipsamque de parte in partem visitavit, quae est consecrata, cuius

consecrationis anniversaria dies collitur die 18 octobris, Nativitati beatæ Virginis Mariæ dicata, cuius archipresbyter est admodum reverendus dominus Ioannes Baptista Ventretti, quam per concursum obtinuit, ut ante dictum est. Vidit etiam in ea suggestum in quo quadragesimali tempore concionatur omnibus diebus festis de præcepto nec non feriis quarta et sexta cuiuslibet hebdomadae Quadragesimæ et concionator eligitur ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo veronensi, qui concionator munus suum exercet cum mandato et benedictione episcopali et accipit stipem ab hac communitate ducatorum quinquaginta circiter. Visitavit etiam aedes parochiales, honorifice instructas et optime tentas, nec non campanile in quo duæ sunt campanæ et unum tintinabulum. Posthæc oravit pro defunctis factisque infracriptis ordinationibus, visitationem huius parochialis ecclesiæ, [20^v] quæ est plebs habetque clericos portionantes numerum 28, qui sunt beneficia simplicia clericatus nuncupata, in nomine Domini absolvit. Ordinata. Fiat conopeum ex serico, vel medio serico pro fonte baptismali, prout etiam in visitatione anni 1716 ordinatum fuit – portatile altaris beatæ Virginis Mariæ a Rosario reducatur propius pectus celebrantis et deprimatur aliquantulum; rimæ autem quæ sunt in mensa ipsius altaris obturentur – deprimatur portatile altaris sanctorum Bernardini et Laurentii illiusque rimulæ obturentur – portatile altaris sancti Michaelis parumper deprimatur et amoveantur mappæ quæ nunc existunt in eodem altari et aliæ mundæ ponantur, monitis reggentibus communitatis ut continuo ipsas mundas servant - altare beatæ Virginis Mariæ septem Dolorum provideatur de tela cerata, quæ cooperiat maiorem partem mensæ, ne humiditate mappæ marcescant – ab eodem altari removeantur mappæ subtus, quæ sunt fraciæ, et aliæ earum loco ponantur – portatile ipsius altaris firmetur et paulisper deprimatur. [21] Egressus ex ecclesia parochiali de Ronco deveneratusque ab admodum reverendo domino archipraesbytero, clero et populo ipsius communitatis, rhedam suam conscendit una cum reverendissimo domino provicario suo generali, ceremoniarum magistro meque visitationis notario coeterisque suis familiaribus subsecutus, praeerantibus militibus tam pedestribus quam equestribus tubisque clangentibus, iter suum Tumbam Zosanam versus iter arripuit. Ad confinia iterum ab admodum reverendo domino archipraesbytero, clero et populo Ronchi deveneratus iisque sua cum benedictione dimissis, ibidem praesto fuit admodum reverendus dominus archipraesbyter et plurimi ex communitate Tumbæ Zosanae, una cum militibus ordinantiarum ipsius loci, a quibus obsequenter salutatus iisque praeerantibus iter suum continuavit; tormentorum bellicorum interea ab utraque ripa Athesis peractis explosionibus a communitatibus Ronchi, Albareti et Tumbæ ac puerorum clamoribus in signum laetitiae pro adventu optimi pastoris et patris amantissimi, aer circumundique personuit. [A margine: Beata Vergine Assunta] In itinere visitavit publicum oratorium sub titulo Assumptionis beatæ Virginis Mariæ, situm in contrata *La Canova* nuncupata, infra limites plebis Tumbæ praedictæ, in quo est benefitium simplex prioratus de Tumba [21^v] nuncupatum, quod modo possidetur ab admodum reverendo domino Francisco Bortoloni patavino, cum litteris apostolicis et mandato executivo diei 23 decembris 1741. Unicum in eo est altare, marmoreum in mensa cum portatili ad mensuram canonicam posito et icone depicto, quod altare vidit recenter constructum, in quo diebus festis celebrat reverendus dominus Ioannes Segala de Albareto, stipe ducatorum triginta eidem praestita a praedicto admodum reverendo Bortoloni. Vidit etiam sacristiam et in ea vasa sacra et apparamenta sacra ad missæ celebrationem necessaria quæque descripta sunt in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera C. Visitavit denique totam hanc ecclesiam, a qua remotum fuit confessionale, prout iussum fuit in praecedenti visitatione anni 1716. Ordinata. Deprimatur parumper portatile altaris eiusque rimulæ obturentur – super ipsum altare sub tecto ecclesiæ ponatur umbella qua altare et sacerdos celebrans contegantur – provideatur de planeta nigri coloris, de missali pro defunctis, de cruce magna cum crucifixo ligneo, ponenda super armarium in quo sacerdotes sacris vestimentis se induunt – ponatur labellum [22] pro aqua benedicta – exequatur ordinatio in visitatione anni 1716 facta de scitula ponenda in sacristia, cum manutergio ibidem semper servando – sperae vitreae sarciantur et fenestris retia ferrea apponantur – tectum ecclesiæ ubi opus est sarciat, ita tamen ut tectum domus Dei appareat, non vero pecudum caula. Quibus habitis et cetera. [A margine: Sant'Antonio] Visitavit etiam publicum oratorium sub titulo Sancti Antonii patavini, infra limites Tumbæ praedictæ, de iure nobilis domini Francisci Polfranceschi, erectum anno 1724 et dotatum medio instrumenti diei 13 novembris 1724 praedicti, in actis huius curiæ, in quo unicum est altare, marmoreum cum portatili et icone depicto, in quo est obligatio unius missæ in hebdomada, ex legato quondam nobilis dominae Constantiæ Montesauræ, uxoris praedicti nobilis domini patroni, ut in eius testamento diei [manca] in actis domini Iosephi Comini notarii, cui satisfacit reverendus dominus Antonius Salernus et accipit stipem ducatorum duodecim a patrono; idem sacerdos hic celebrat alias missas iuxta devotionem ipsius patroni. Vidit sacristiam et in ea apparamenta et vasa pro celebratione missæ, quæ descripta leguntur in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera C et [22^v] de quibus bene provisum esse invenit. Vidit umbellam et unum fanale, quibus utitur admodum reverendus archipraesbyter

Tumbae quoties occurrit infirmos in hac contrata degentes communicare et praesertim tempore hyemali, dum iter impervium est, quibus occasionibus ipse celebrat in hoc oratorio et consecrat particulas pro effectu praedicto. Observavit in hoc ipso oratorio sepulcrum et interrogavit qua auctoritate fuerit constructum et nobilis dominus patronus ostendit licentiam ab hac curia obtentam pro faciendo deposito, non tamen pro construendo sepulcro, qua de re ipse nobilis dominus patronus supplicavit ut sibi permitteretur uti eodem sepulcro pro se suisque haeredibus; cui supplicationibus illustrissimus et reverendissimus praesul benigne annuens, concessit ut eodem uti possint nobilis dominus patronus eiusque haeredes, sine tamen ullo preiudicio iurium parochialium, quibus omnino subiectum fore et esse declaravit et decrevit et ita et cetera. Vidit ostium quod tendit in aream praedicti nobilis domini patroni nec non speculam seu fenestram ex ea prospiciens versus altare, apertam vigore facultatis ab hac curia eidem relaxatae sub die 6 mensis aprilis 1729. Ordinata. Firmetur portatile altaris illiusque rimae obturentur. Quibus habitis et cetera. Rhedam suam iterum conscensus, illustrissimus et reverendissimus [23] praesul, una cum reverendissimo domino provicario suo generali caeterisque suis familiaribus, iter suum prosecutus est. Non procul a parochiali, obvius habuit pueros, puellas et operarios scholae doctrinae christianae, una cum admodum reverendo archipraesbytero, clero et populo, processionaliter incedentes et divinas laudes decantantes, iisque praeentibus, ad aedes parochiales usque pervenit, in quibus receptus brevioribus episcopalibus vestibibus exutus longioribusque sumptis,

[a margine: TOMBA ZOSANA] ad portas aedium parochialium venit, in quibus sub baldachino, a quatuor gravioribus loci hominibus gestato, receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus, crucem – sibi ab admodum reverendo archipraesbytero pluviali induto porrectam – adoratus et deosculatus est; clero subinde processionaliter praeunte et solita decantante, ecclesiam parochialem praedicta adivit, in cuius fores stetit et, aspergillo accepto a manibus praedicti domini archipraesbyteri, aqua lustrali populum aspersit et thurificationis honorem recepit. Ante altare maius genuflexus oravit decantatisque interea decantandis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam de suo mandato publicatam elargitus est. Ad thronum sibi in latere evangelii altaris maioris decenter paratum venit, in quo violacei coloris pontificalibus vestitus, exequias pro defunctis tam in ecclesia quam in coemeterio eidem contiguo persolvit. [23^v] Dimissis subinde violaceis sacramentis albisque assumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea, in cupa et in pede ex cupro, in tabernaculo ligneo inaurato servatum et sub sera et clavi, quae est argentea, bene custoditum. Visitavit amygdalam argenteam intus inauratam, rite instructam nec non ostensorium argenteum radiatum, rite quoque confectum ex piorum eleemosynis. Admodum reverendus archipraesbyter asseruit hoc Sacramentum statutis temporibus renovare; communicatis in Paschate schedas distribui et colligi; sub hac cura habere animas a communione 267, in totum vero 417 nullumque ecclesiae praecepto innobedientem existere. Dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari et lampadem continuo ardere ante idem Sacramentum, quae ut ardeat oleum prestat ipse dominus archipraesbyter; qui pro executione edictorum praesentis visitationis obtulit polliceas in eis requisitas, quas ego notarius recepi et in fine huius libri posui ad litteram C. Interrogatus idem admodum reverendus archipraesbyter num sit in hac ecclesia societas Corporis Domini, respondit fuisse quidem, nunc vero nullos in hac parochia [24] eius esse confratres, sed intortitia duo suppeditari a communitate et aliquando duo a schola Rosarii; quapropter illustrissimus et reverendissimus praesul monuit eundem admodum reverendum dominum archipraesbyterum ut omnem curam adhibeat ut describantur confratres societatis sanctissimi Corporis Christi, quam ex visitationibus praecedentibus constat canonice erectam fuisse, praesertim cum ex postrema visitatione anni 1716 appareat ipsam societatem habuisse redditus tronorum duodecim, cum onere missarum trium, ex quodam legato ut ibidem et cum in hac ipsa ecclesia sit altare Corporis Christi, de quo infra dicitur. Expositionem fieri in sextis feriis Quadragesimae piorum eleemosynis et omnibus diebus festis mensis maii, in quibus communitas suppeditat ceras; processionem autem fieri in die tantummodo eiusdem Corporis Christi. Populo subinde hoc ipso Sacramento benedixit. Reposito sanctissimo Sacramento, visitavit olea sancta, in capsula ex nuce sera et clavi munita et in loculo in cornu evangelii altaris maioris, sub sera et tuta clavi servata viditque vascula maiora ex stamno nec non vascula minora, oleorum scilicet Chrismatis et cathecumenorum, ex stamno rite confecta et olei infirmorum quoque ex stamno elaboratum et iuxta sacros ritus confectum. [24^v] Visitavit fontem baptismalem, in calce ecclesiae et iuxta ianuam maiorem situm, cancellis ligneis septum, sub sera et clavi servatum riteque instructum. Vidit etiam et visitavit unum confessionale, in hac ecclesia positum pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus, rite quoque instructum. Hisce peractis, in aedes parochiales receptus quieti primum et subinde somno incoenatus indulsit. Die mercurii 30 mensis

septembris 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, facto mane, in ecclesiam parochialem praedictam descendit adoratoque divino Sacramento sumptisque sacerdotalibus apparamentis, sacrum fecit et biscentum circiter utriusque sexus christifidelibus divinum Sacramentum praebuit. Posthaec sancto doctrinae christianae operi incubuit et per varias interrogationes per dominum archipraesbytero de suo mandato factas pueris, puellis et adultis, cognovit plures bene edoctos esse circa misteria fidei aliaque ad aeternam salutem neccessaria, alios vero non ita, eo quod – ut ex relationibus habuit – non ita frequenter isti scholae huiusmodi doctrinae christianae interveniunt, ex quo fit ut ordo regularum eiusdem doctrinae christianae in hac [25] paroecia exerceri non possit, sed dominus archipraesbyter una cum suo curato et nobilis dominus Franciscus Polfranceschi dirigunt totam scholam, praesertim cum nulli praeter illos sint hic parochiani qui litteras caleant ut ex libro docere possint; quapropter illustrissimus et reverendissimus praesul paterno ac serio sermone mares et foeminas huius paroeciae monuit ut ad hanc scholam conveniant, audituri ab eorum domino archipraesbytero et eius coadiutoribus in hoc opere sancto verba vitae aeternae; nam si ommittant hoc ad quod tenentur, merito non modo a sacramentorum susceptione eos excludi oportuerit, verum etiam, cum ignoraverint vias aeternae vitae, ignorabuntur a Deo penasque dabunt pro eorum gravissima negligentia mandavitque insuper praedicto domino archipraesbytero ne imposterum ullum ex hac sua paroecia in matrimonio iungat qui eandem doctrinam christianam non caleat, sub poenis arbitrio suo et cetera. His peractis, centum quinquaginta circiter utriusque sexus christifideles sacros Chrismatis oleo in fronte signavit. Visitavit subinde altare maioris, marmoreum cum portatili, sed habet gradus a candelabris et tabernaculum ligneum, iconem vero retro ipsum altare depictum. In hoc ipso altari nulla est obligatio missarum, sed dominus archipraesbyter in eo celebrat et diebus festis applicat pro populo et de omnibus ab ipso domino archipraesbytero manutenetur. [25^v] Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum in mensa cum portatili, ex piorum eleemosynis erectum, in reliquis ligneum cum imagine eiusdem beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, circum quam depicta sunt misteria eiusdem rosarii. In hoc altari olim erat societas Rosarii, ad quam altare ipsum attinebat, sed nulli confratres eiusdem societatis nunc sunt; Dominicus Cogni tamen pro sua pietate suscepit huius altaris administrationem nec non reddituum qui ad ipsam societatem pertinebant, qui sunt tronorum triginta quinque, pro quibus celebrari facit undecim missas, quibus redditus illi sunt obnoxii, ex legato scilicet Cavalli missas tres et pro legato Riveto missas octo. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit praedictum dominum archipraesbyterum nec non ipsum Cogni aliosque homines huius communitatis ut instaurent ipsam societatem et se describi faciant in confratres eiusdem, ad hoc ut spiritualibus beneficiis huius sancti instituti frui possint et ab ipsis altare ipsum et eius redditus rite administrantur, comendans caeteroquin pietatem praedicti Cogni, qui sua cura altare ipsum instauravit et ornavit. Altare Purificationis beatae Virginis Mariae nuncupatum, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto ab excellenti pictore, in quo tamen non Purificatio beatae Virginis Mariae, sed [26] eius transitus reppresentatur; eius tamen corona est lignea. Hoc altare pertinebat ad societatem sub eodem titulo Purificationis, quae modo non extat, sed Bernardus Verghezin curam huius altaris exercet nec non reddituum ad ipsam societatem pertinentium, qui sunt: a nobili domino Franciscus Polfranceschi exigit tronos 17; a Blasio Zanini tronos 6; a Stephano Zonta, conductore domus et petiae terrae pro portione spectante ad ipsum altare, tronos 12.10; pro quibus celebrare facit missas tres in anno pro legato Cavali. Praedictus Bernardus Verghezin reddit rationem suae administrationis domino archipraesbytero pro suae conscientiae quiete, qui asseruit fideliter ab ipso redditus praedictos administrari. Illustrissimus vero et reverendissimus dominus dominus episcopus eundem Bernardum monuit ut libros promptos habeat in quibus redditus diligenter describantur nec non exitus eorumdem, donec – si Deo placuerit – eadem societas reviviscat. Altare Corporis Christi, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, cum corona lignea, de ratione societatis sub eodem titulo, quae – ut supra descriptum fuit – nullos modo habet confratres, sed eius redditus ut supra administrantur a praedicto Cogni. Altare sancti Blasii, marmoreum cum portatili et imaginibus [26^v] sancti Blasii, Antonii patavini et Antonii abbatis, ex marmore sculptis. Hoc altare erat de iure familiae de Albertinis huius loci, in quo altari cum collocata fuerit imago sancti Antonii patavini, ex consensu patronorum, quae imago olim erat in loculo huius ecclesiae, eidem altari obvenit donum redditus tronorum viginti oblatum sancto Antonio patavino a quondam Caesare Fredo, ex quo dono hoc altare modo manutenetur, cum familia de Albertinis alios sumptus non faciat nisi in celebranda solemnitate sancti Blasii; redditus autem praedicti tronorum viginti ministrantur a Dominico Pozzerle huius loci, qui reddit rationem domino archipraesbytero quique monitus fuit ut describat in libro redditus annuos et expensas. Quibus relatis et intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit patronos huius altaris adhuc tamen ipsos teneri ad illud manutenendum quatenus opus fuerit et quatenus iuspatronatus poenes ipsum servetur. Hisce peractis, in edes parochiales

receptus ac in proprio cubiculo, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: consilarii huius communitatis, qui interrogati de vita, moribus et diligentia admodum reverendi archipraesbyteri ac reverendi curati in curae animarum exercitio et an in hoc loco adsint [27] publici peccatores, responderunt admodum reverendum archipraesbyterum et eius reverendum curatum bonis esse vita et moribus, diligenter propria munera obire nullumque publicum peccatorem – divina favente gratia – adesse. Admodum reverendus dominus Thomas Micheloni annorum 58, archipraesbyter huius parochialis ecclesiae, quam obtinuit per concursum et ostendit litteras huius curiae et mandatam executivum diei 10 ianuarii 1732; obtulit quoque libros curae animarum, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum et status animarum, quos vidit et visitavit. Reverendus dominus Ioseph Zaffaina, sacerdos vicentinus annorum 38 circiter, cum dimissorialibus sui illustrissimi ordinarii et mandato huius curiae pro cura animarum ad annum, confirmato die 4 iulii 1744. Reverendus dominus Antonius Salerno, sacerdos annorum 42 circiter, cappellanus oratorii Sancti Antonii, cum mandato pro cura animarum ad annum, confirmato die 18 martii 1744. Reverendus dominus Ioannes Segala, sacerdos annorum 43, cappellanus oratorii Assumptionis beatae Virginis Mariae. Sub hac cura adest Maria relicta quondam Antonii Vantini, obstetrix, quae cum febris laboraret, attamen testatus est dominus archipraesbyter ipsam in suo officio se exercere et expertam esse in conferendo sacramento baptismatis in casibus necessitatis. Quibus actis, idem illustrissimus et reverendissimus praesul prandium sumpsit et quieti indulisit. [27ⁿ] Die antedicta 30 mensis septembris 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam antedictam descendit, quam de parte in partem vidit et visitavit, divo Ambrosio dicatam subestque iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini. Ecclesia haec est perantiqua, tribus constructa navibus, de cuius consecratione ignoratur nec eiusdem consecrationis anniversaria dies collitur estque plebs habetque clericos portionantes numero 11, qui antiquitus suis gaudebant redditibus, nunc tamen sunt deperditi ob Athesis alluvionem; nam in valles agri decimis subiecti descenderunt. Vidit in ea suggestum, in quo concionatur diebus festis et feria sexta maioris hebdomadae; concionator eligitur ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo et munus suum exercet cum mandato et benedictione episcopali et accipit stipem ab hac communitate tronorum viginti octo. Vidit etiam campanile, in quo duo sunt campanae. Quibus peractis factisque infrascriptis ordinationibus, adorato divino Sacramento, pro defunctis oravit et visitationem huius plebis, cleri et populi absolvit. Ordinata. Firmetur portatile altaris beatae Virginis a Rosario, tela cerata cooperiatur illiusque rimulae obturentur – portatile altaris Purificationis beatae Virginis deprimitur, firmetur et obturentur rimae quae circum ipsum sunt telaque [28] cerata cooperiatur et de tabellis idem altare provideatur – obturentur rimulae circum portatile altaris Corporis Christi, quod portatile etiam tela cerata cooperiatur – in libro renatorum exprimat hora nativitatis et in illo mortuorum causa mortis – oculus ecclesiae muniatur speris vitreis. Absoluta visitatione plebis Tumbae et ex hac parochiali egressus receptisque ab admodum reverendo archipraesbytero, clero et populo ipsius loci obsequiis et gratiarum actionis argumentis, rhedam suam conscendit, una cum reverendissimo domino provicario suo generali caeterisque suis familiaribus et, praecedentibus loci militibus, iter suum ad parochialem Albari versus contendit. Ad confinia Ronchi perventus, fuit deveneratus ab admodum reverendo domino archipraesbytero huius loci et a clero et populo frequenti ibidem congregato, tormentorum bellicorum explosione; milites vero ipsius communitatis militari ordine dispositi suam illustrissimam et reverendissimam dominationem associati sunt ad ecclesiam usque Scardevariae, quo in loco perventus, eos sua cum benedictione dimisit iterque suum prosecutus est. Non procul a parochiali Albari praesto ei fuit admodum reverendus archipraesbyter ipsius loci, associatus a nobili domino comite Francisco de Medicis, praedictae communitatis Albari protectore, una cum schola doctrinae christianae processionaliter incedente et divinas laudes decantante; quo in loco e rheda descensus et ab omnibus deveneratus praeceuntibusque praedicta schola, clero et domino archipraesbytero, [28ⁿ] ad aedes parochiales pervenit, in quibus et in cubiculo sibi parato se se recepit et quieti primum ac subinde somno indulisit.

[A margine: ALBARO] Die iovis primo mensis octobris 1744. Orto sole omnibusque in ecclesia paratis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in eandem parochialem Albari, servatis ritibus a pontificali romano praescriptis, descendit et ante divinum Sacramentum stratus oravit recitataque oratione titularis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impertitus est. Ad thronum sibi a latere evangelii altaris maioris paratum venit, in quo, pontificalibus violacei coloris apparamentis indutus, exequias pro defunctis tam in ecclesia quam in coemeterio eidem contiguo persolvit. Violaceis exutus pontificalibus albisque indutus praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, servatum in pixide in omnibus suis partibus argentea et in tabernaculo ligneo inaurato, sub sera et clavi, quae est argentea, tute

custoditum, quod tamen tabernaculum intus non est vestitum iuxta ordinata in visitatione anni 1731. Ex factis perquisitionibus, habuit hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; sub hac cura adesse animas a communione 206, in totum vero 331; [29] dum ad infirmos deferendum est, non dari signa in sero neque indulgentias associantibus concessas publicari, pro cuius decenti associatione extant sacrae suppellectiles quae descriptae sunt in pollicea, quam, una cum aliis, dominus archipraesbyter obtulit et in fine huius libri posui sub littera D. Vidit etiam amygdalam argenteam intus inauratam nec non ostensorium radiatum ex auricalco inaurato. Communitas pro associatione divini Sacramenti quatuor intortitia suppeditat ex consuetudine; duo vero dominus archipraesbyter et eadem communitas providit de quatuor fanalibus lateis, quos vidit. Oleum pro lampade, quam continuo ardere ante idem Sacramentum testatus est dominus archipraesbyter et cerae pro altari maiori manentur ab eodem domino archipraesbytero nullumque inconfessum in hac paroecia habere asseruit. Adest etiam in hac ecclesia societas sanctissimi Sacramenti, de qua infra dicitur. Expositionem ipsius Sacramenti fieri prima et ultima die anni, duabus feriis ultimis carnisprivii, sexta qualibet feria mensis martii et omnibus dominicis a festo sanctae Crucis mensis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis mensis septembris, piorum eleemosynis. Processionem fieri tantummodo in die Corporis Christi. Posthaec frequenti populo eodem Sacramento benedixit et [29^v] biscentum circiter utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. Reposito divino Sacramento, sacrosanctum missae sacrificium celebravit eoque absoluto aliquos alios itidem utriusque sexus christifideles communicavit. Visitavit olea sancta, in capsula ex nuce sera et clavi munita et in loculo in cornu epistolae posito in choro, sub sera et tuta clavi servata; vidit vascula maiora ex stamno, in quibus eadem olea recipiuntur a cathedrali; vidit etiam vascula minora, oleorum scilicet Chrismatis, cathecumenorum et infirmorum, quae sunt argentea riteque instructa. Interrogavit dominum archipraesbyterum cur praedicta olea sancta serventur in cornu epistolae et in choro; respondit: iam locus ubi custodiuntur olea sancta praedicta visitatus fuit a praedecessoribus suae illustrissimae et reverendissimae dominationis et putat ideo tolleratum fuisse ibidem servari ipsa olea sancta, eo quod pars evangelii respicit ad austrum, quo fit ut murus maxime sit humidus, unde illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus adhuc tollerari mandavit, cum praesertim extra chorum a parte epistolae sit murus campanili proximus. Visitavit fontem baptismalem, in cappellula iuxta ianuam maiorem situm, rastris clausum. Vidit unum confessionale stabile et alterum mobile [30] prope baptisterium pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit subinde altare maius, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto posito in prospectu chori, in reliquis ligneum, in quo nulla est obligatio missarum, sed dominus archipraesbyter in eo celebrat et diebus festis applicat pro populo. Vidit hoc altare pauperrimo cultu ornatum. Altare Spiritus Sancti, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure huius communitatis, a qua de omnibus manentur, in quo nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Altare sanctissimi Rosarii, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum, de iure societatis sub eodem titulo Rosarii, a qua de omnibus manentur, quae in praecedentibus visitationibus canonice erecta asseritur quaeque habet redditus unius minalis et trium quartarum frumenti, quae tamen nullis oneribus est obnoxia; ex eleemosynis autem confratrum, quoties alicuius ex iis mors accidit, pro illo celebrari faciunt missas quatuor. Altare Corporis Domini, marmoreum in mensa et gradibus cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum, de iure ecclesiae, ut ex praecedentibus visitationibus [30^v] constat, in quo in iisdem visitationibus asseritur canonice erectam esse societatem sanctissimi Corporis Christi, quae habet redditus tronorum viginti quatuor sine obligatione missarum, ex quo reddito et ex eleemosynis confratrum manentur altare ipsum et celebrari fiunt pro quoque confratre defuncto missae quatuor. Altare sancti Antonii patavini, marmoreum cum portatili et icone depicto, de ratione societatis sub eodem titulo sancti Antonii, quae nullos habet redditus, sed ex confratrum eleemosynis altare ipsum manentur quaeque in praecedentibus visitationibus canonice erecta asseritur. Confratres huius societatis habent suas indulgentias, recognitas in praecedentibus visitationibus. Hisce peractis, in aedes parochiales regressus est et prandium sumpsit. Die antedicta prima octobris 1744 post prandium. Congregata schola doctrinae christianae per solita signa in parochiali ecclesia, illustrissimus et reverendissimus praesul in eadem descendit, una cum reverendissimo domino provicario generali et audivit pueros et puellas a domino archipraesbytero interrogatos circa fidei dogmata et legem divinam, quos satis in iisdem edoctos cognovit. Ordo regularum doctrinae christianae vix servatur, sed scholam in omnibus dirigit dominus archipraesbyter, cum – ut ipse asseruit – litterarum [31] ignari sint eius parochiani et facile ex hoc loco alio ad habitandum transeant, ex quo fit ut ordo ille vix servari possit. Dimissa schola doctrinae christianae, centum quinquaginta circiter utriusque sexus christifideles sacro Chrismatis oleo in fronte perunxit. Visitavit subinde sacristiam viditque in ea suppellectiles sacras ad missae sacrificium necessarias, descriptas in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera D illasque

vilioris praetii esse cognovit. Illustrissimus et reverendissimus praesul monuit dominum archipraesbyterum ut, tempore divinorum officiorum, custodiat clausum ostium quod tendit e sacristia versus domum parochialem, ne populus frequentior conveniat in sacristiam ipsam. Comparuerunt consiliarii huius communitatis et exposuerunt societatem sanctissimi Corporis Christi, quae existit in hac ecclesia, habere quantitatem pecuniae quae est illi residua, quapropter insteterunt ut dominatio sua illustrissima et reverendissima declaret residuum praedictum pecuniae impendendum esse in comparandis utensilibus ut supra ordinatis pro cultu sanctissimi Sacramenti, cui expositioni et instantiae massarius et confratres praedictae societatis responderunt se quidem offerre paratos pro cultu Sacramenti impendere quidquid superest, comparatis tamen prius ex pecunia quae est residua eidem societati iis omnibus [31^v] quae supra ordinata fuerunt pro altari sanctissimi Corporis Christi, instantes etiam ut, ex receptionibus praesentatis, fiant computa; quibus auditis factisque ex utriusque partis voluntate computis et relevata summa tronorum centum septuaginta quinque marculorum sexdecim, computato anno currenti, salva veriori quantitate si et quatenus et cetera, quae est residua apud massarium Balthesarem Massimiani, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus declaravit et decrevit, iuxta oblationem praedictam confratrum societatis, id quod, executis ordinatis pro altari sanctissimi Corporis Christi, supererit, tradendum esse massario et consiliariis huius communitatis, ad hoc ut ab ipsis impendatur, una cum expensis a semetipsa faciendis pro suppellectilibus ut supra ordinatis, in honorem et pro cultu divini Sacramenti et ita et cetera, omni et cetera. Quibus actis, facto iam sero, in aedes parochiales receptus, incoenatus obdormivit. Die veneris secunda mensis octobris 1744. Reverendissimus dominus pro Vicarius generalis summo mane suprascriptae diei se contulit una cum me notario ad visitanda oratoria infrascripta, infra limites parochialis Albari sita. Et primum visitavit publicum oratorium sub titulo Assumptionis beatae Virginis Mariae, de iure nobilis familiae de Zanchis, a qua de omnibus manutinetur. Unicum habet [32] [a margine: Beata Vergine Assunta] altare, ligneum cum portatili et icone depicto, in quo nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Vidit locum pro sacristia, in quo tamen non servantur apparamenta, quia non est omnino tutus. Vidit etiam apparamenta et vasa sacra ad missae sacrificium necessaria, de quibus sufficienter provisum invenit quaeque descripta sunt in pollicea exhibita et in fine praesentis libri posita sunt littera D. Vidit super gradus altaris tabernaculum ligneum mobile, quod ex voluntate domini archipraesbyteri positum fuit et ibidem eius arbitrio servatur quoque idem dominus archipraesbyter utitur in die solemnitatis huius oratorii, ob populi concursum qui accedit, ut eidem populo sacramentum Eucharistiae distribuat. Vidit etiam confessionale mobile, ut supra a domino archipraesbytero positum et ad eundem usum servatum. Ingressus in praedictum locum sacristiae, observavit ostium quoddam viditque non tendere ad aedes privatas nec in privatam aream aut hortum, sed in pratum de ratione praedictae nobilis familiae de Zanchis, quod tamen nulla clavi clauditur et patet quibuscumque; unde, cum cognovisset ostium ipsum usui privato non existere, illud permisit. Visitantes hoc oratorium in die Assumptionis beatae Virginis Mariae [32^v] fruuntur indulgentia, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 9 ianuarii 1743, hodie in hac curia viso et restituto. Ordinata. Sarciantur et dealbentur foris parietes ecclesiae – erigatur crux ferrea in culmine tecti. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Giuseppe] Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Ioseph, de ratione nobilis familiae comitum a Ripa, a qua de omnibus manutinetur. Unicum habet altare marmoreum cum portatili et icone depicto. In hoc altari ex praecedentibus visitationibus apparet adesse onus missae quotidianae, quod onus etiam apparet ex intentione quondam nobilis domini comitis Gabriellis Riva, expressa in simplici eius libello praesentato sacrae congregationi episcoporum et regularium anno 1674, quem autenticum exhibuit domino archipraesbytero et infra posui sub littera D; sed, interrogatus reverendus dominus Iordanus Pasi, cappellanus huius oratorii, utrum huic oneri satisfiat, respondit a se in hoc oratorio non celebrari nisi missam in sextis feriis cuiuslibet hebdomadae, pro qua accipit stipem quindecim ducatorum a nobili domino comite Octavio a Ripa, in diebus autem festis ab eodem missam hic celebrari, stipe accepta a devotis qui sunt huic oratorio contigui; quapropter, cum cognoverit praedictum nobilem dominum comitem Octavium deficere ab huiusmodi sua obligatione monendum sibi resservavit ad civitatem reversus, ut suae conscientiae [33] consulat et ita et cetera. Visitavit sacristiam et in ea apparamenta et vasa ad missae sacrificium necessaria, quae descripta leguntur in inventario exhibito, ut in fine huius libri posito ad litteram D. Observavit ostium quod ab oratorio versus sacristiam tendit, sed etiam vidit tendere ad porticum edium nobilis patroni, quodque, in praecedenti visitatione anni 1716, ut clauderetur iussum fuit; sed, cum praesentata fuisset supra descripta supplicatio, in qua etiam supplicatum fuit ut concederetur ostium privatum, in cuius supplicationis calce rescriptum est eiusdem sacrae congregationis sub datum Romae sub die 16 novembris 1674 quo conceditur hoc privatum ostium ideoque, huiusmodi concessione stante, ostium istud ne claudatur permisit, et ita et cetera. Ordinata. Rimae circum portatile obturentur – mappae inferiores

ammoveantur ab altari et provideatur de aliis mundis, mundaque omnes semper ibidem servantur – exequatur ordinatio in visitatione anni 1716 facta de baldachino super altare suspendendo – provideatur de stragula pro cooperienda mensa altaris – recentiores missae sanctorum addantur missalibus – provideatur planeta rubei coloris – canalis aptetur ad labellum ad formam galli gallinacei [33^v] ex quo depluat aqua ad abluenda manus. Quibus habitis et coetera. Interea illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, descensus in ecclesiam, missam celebravit, plurimos utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit ac nonnullos etiam sacro Chrismatis oleo in fronte linivit. In aedes parochiales subinde restitutus, in proprio cubiculo, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: reverendus dominus Bernardus Ferrari, sacerdos de Ronco annorum 53 circiter, qui cum in ipso loco comparere hic obtulit sua mandata, debita cum veneratione. Comparuerunt consiliarii huius communitatis, scilicet Ioannes Molon et Nicolaus Mori, qui interrogati circa vitam, mores et officium admodum Reverendi archipraesbyteri et reverendi curati et an in hac paroecia sint publici peccatores, responderunt nihil scire quoad ipsum dominum archipraesbyterum, cum primus ad suum molendinum attendat, alter vero ad suas res domesticas, aliquando quidem eundem deesse a ressidentia in hac sua cura, sed id contingere litium causa, quas habet – ut ab eodem domino archipraesbytero ipsi acceperunt – de curato cum recenter, duobus scilicet ab hinc mensibus, in hac paroecia degat, nihil habere quod mali referant nullumque in hoc loco publicum [34] peccatorem, divina favente misericordia, adesse. Visitavit domum parochialem praefatae ecclesiae proximam. Prandium subinde sumpsit, et quieti paulisper indulgit. Die antedicta 2 octobris 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum reverendissimo domino suo provicario generali, in proprio cubiculo pro tribunali etiam sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: admodum reverendus dominus Andreas Anselmi, rector arcipraesbyter nuncupatus annorum 50 circiter, quod beneficium obtinuit anno 1726 subestque iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini et ostendit litteras apostolicas et mandatum executivum diei primae maii anni 1727; obtulit quoque libros curae animarum, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum et status animarum, quos vidit et visitavit et bene tentos riteque instructos invenit. Idem admodum reverendus archipraesbyter fuit canone admonitus ut in actis criminalibus huius officii. Interrogatus subinde idem reverendus archipraesbyter an in hac sua paroecia adsint publici peccatores, respondit omnes – Dei gratia – bene vivere nullumque publicum peccatorem adesse. Reverendus dominus Ioannes Baptista Vaona, sacerdos de Alphaeto annorum 30, duobus ad hinc mensibus cappellanus huius communitatis, [34^v] cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 5 iulii 1744, quam exercet in hoc loco. Reverendus dominus Iordanus Pasi, sacerdos annorum 27 circiter. Venerabilis clericus Antonius Gambarelli, Subdiaconus annorum 22 circiter; qui omnes, debito obsequio, eorum mandata ordinum et ad curam animarum illustrissimo et reverendissimo episcopo obtulerunt. Descendit subinde in parochiali praedicta ecclesia de Albaro adoratoque augustissimo Sacramento, ipsam de parte in partem visitavit, quae est sufficientis structurae viditque in ea suggestum, in quo tempore quadragesimali concionatur diebus dominicis, qui concionator eligitur ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo et munus suum exercet cum mandato et benedictione episcopali et stipem accipit a communitate praedicta tronorum triginta. Vidit etiam campanile, in quo duae sunt campanae. His actis factisque infrascriptis ordinationibus, pro defunctis oravit et visitationem cleri, populi et ecclesiae parochialis de Albaro complevit et in nomine Christi processit. Ordinata. Iuxta columnas quae sunt ad portas coemeteri erigatur murus vel saepes, qua impediatur additus in ipsum coemeterium, qui additus non pateat nisi per pontem inter ipsas columnas – exequatur ordinatio visitationis anni 1731 de vestiendo interius tabernaculo panno serico albo et de muniendo [35] tabernaculo pro hebdomada maiori suo ostio, clavi et sera, quod interea suspensum declaravit donec fuerit executum – dum ad infirmos deferendum est idem Sacramentum, data opportunitate, dentur signa in sero et indulgentiae associantibus concessa publicentur – provideatur tabernaculum altaris maiori de conopeo variorum colorum, super ipsum ponendo, ut fuit iussum in visitatione anni 1731 – rastrum baptisterii muniatur sera et clavi qua tute claudatur additus qui patet a loco baptisterii ad altare Rosarii, rastris sera et clavi tuta muniatur, ne additus sit liber ad ipsum baptisterium – amoveatur scabellum e loco baptisterii – scamna quae impediunt ingressum ad ipsum baptisterium omnino amoveatur, ne impediunt – confessionale stabile provideatur de pagella casuum resservatorum – confessionale mobile removeatur e loco baptisterii, ut fuit etiam ordinatum in praecedentibus visitationibus; numquam autem collocetur in praesbyterio altaris maioris, vel prope ipsum, sed nullus confessarius illo utatur nisi in loco collocetur qui liber sit poenitentibus ad ipsum confluentibus – exequatur ordinatio visitationis anni 1731 de instaurando icone sanctae Sophiae et delenda palma quam gestat sancta Sophia, cum ex martyrologio constet ipsam viduam [35^v] fuisse, non martyrem – ornetur altare maius vasculis cum

floribus – tabernaculum ipsius altaris instauretur ubi instaurandum est et clavis eiusdem tabernaculi ita aptetur ut facile aperire possit – provideatur idem altare maius de pulvinaribus decentioribus nec non de stragula pro ipso cooperiendi – exequatur ordinatio facta in visitatione anni 1716 de comparanda cruce cum crucifixo ex auricalco pro altari Sancti Spiritus – comparentur tabellae cum suis coronis, vasa cum floribus, sarciatur icon et rimulae quae sunt in mensa eiusdem altaris Sancti Spiritus, obturentur – termino bimestris novum portatile ad mensuram canonicam collocetur in altari sanctissimi Rosarii et removeatur illud quod nunc est – scamna quae sunt ante ipsum altare quaeque impediunt accessum ad medium, eiusdem termino bimestris removeantur; quo termino elapso, nisi paritum fuerit, altare ipsum sit suspensum, prout nunc ex tunc illud suspendit et suspensum declaravit – renoventur tabellae cum coronis decentibus – apponatur crux cum crucifixo ex auricalco et provideantur vascula cum floribus pro altari Corporis Domini – termino bimestris removeatur portatile quod nunc [36] est in eodem altari Corporis Domini et aliud ad mensuram canonicam ibidem reponatur – scamna quae sunt ante ipsum altare eodem termino bimestris inde amoveantur, ut additus pateat ad medium ipsius altaris; quo termino elapso, nisi paritum fuerit, respective suspensum altare ipsum sit, prout nunc pro tunc illud suspendit – portatile altaris sancti Antonii patavini provideatur de tela cerata qua cooperiatur et eiusdem rimae obturentur – termino bimestri amoveatur procul ab altari scamnum contiguum, ad hoc ut sacerdos in confessione missae non impediatur et ne existentes in scamno ipso, ac praesertim feminae, sint sub oculis ipsius celebrantis; quo termino elapso et non parito, suspensum sit idem altare, prout ipsum nunc pro tunc suspendit – provideatur de tela, quae extensa dividat mares a foeminis tempore doctrinae christianae – exequatur ordinatio facta in visitatione anni 1731 de apponenda et servanda continuo in sacristia scitula ad abluendas manus, cum manutergio – fiat baldachinum novum pro associando divino Sacramento ad infirmos nec non umbella ac etiam velum super humerale per quos spectat – provideatur de altera planeta nigri coloris pro defunctis, de pluviali violaceo pro hebdomada maiori, de duabus [36^v] saltem biretis sacerdotalibus et de purificatoriis quae sufficient – pavementum ecclesiae instauretur ubi indiget.

Completa visitatione Albari, receptis a domino archipraesbytero, nobiles dominis comite Francisco de Mediis et Fabio Brognonico, clero et populo ipsius loci obsequii et gratiarum actionis argumentis, rhedam cum suo reverendissimo domino provicario generali, caeremoniarum magistro meque notario conscendit coeterisque suis familiaribus subsecutus, ad plebem Iebbethi versus iter arripuit. Ad confinia frequenti tormentorum explosione fuit salutatus a militibus Albari, a quibus huc usque fuit stipatus iisque sua cum benedictione relictis, occurrerunt obviam illi dominus Alexander Romagnoli et quamplures equitantes communitatis Iebbethi, a quibus humillime deveneratus, a praedicto domino Romagnoli nomine totius praedictae communitatis obsequii et laetitiae testimonia recepit ipsisque peramanter cum respondisset, iter suum iisdem praeceuntibus prosecutus est. Non procul a parochiali Iebbethi obvios habuit scholam doctrinae christianae, confratres scholarum bonae Mortis et Disciplinae, suis sachs indutos, dominum archipraesbyterum, clerum et universum populum Iebbethi praedicti, processionaliter incedentes et divinas laudes decantantes ibidemque a rheda descensus et sub baldachino [37] a sex sacerdotibus gestato receptus, pedester incessit ad edes parochiales usque, in quibus et in cubiculo sibi parato se se recepit, quieti indulsit et incenatus somno se dedit.

[A margine: ZEVIO] Die 3 mensis octobris 1744. Illustrissimus et reverendissimus praesul, facto mane omnibusque in parochiali ecclesia paratis, ad portas aedium parochialium descendit ac ibidem sub baldachino – a sex sacerdotibus delato – receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus, crucem sibi ab admodum reverendo archipraesbytero pluviali induto oblatam adoratus et deosculatus est. Clero subinde processionaliter praecedente et solita decantante, ecclesiam parochialem Iebbethi adivit, in cuius limine sistens, aspersione accepto ab eodem reverendo archipraesbytero, aqua lustrali frequentem populum aspersit et thurificationis honorem recepit. Ante altare maius provolutus, divinum Sacramentum adoravit recitataque interea oratione titularis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, de more impertitus est. Ad thronum deinde, sibi a latere evangelii altaris maioris decenter paratum, accessit ac in eo, pontificalibus violacei coloris indutus, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem proximo – quod etiam visitavit – absolvit. [37^v] Violaceis pontificalibus exutus albisque sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea et in tabernaculo marmoreo sub sera et clavi – quae est argentea – servatum et tute custoditum. Interrogatus dominus archipraesbyter respondit hoc Sacramentum debitis renovari temporibus; sub hac cura habere animas a communionem 1701, in totum vero 2376, inter quas duas inconfessas, quarum salus Deo est comendanda; in Paschate communicatis schedas distribui et subinde colligi; sepulcrum in hebdomada maiori fieri extra hanc ecclesiam parochialem et in oratorio

disciplinatorum; dum ad infirmos hoc idem Sacramentum est deferendum, non dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari, pro qua decenti associatione duodecim candellas suppeditari a societate Corporis Domini, ex antiqua consuetudine et a se, quoties cum communio infirmorum peragitur, plurimum comendari populo ut eroget eleemosynas, quas colligere facit ipse dominus archipraesbyter et collectas tradit societati praedictae, ad hoc ut impendantur pro iisdem luminibus et sacris suppellectilibus, quae adsunt prout in pollicea pro executione edicti praesentis visitationis ab eodem domino archipraesbytero una cum aliis praesentata et in fine huius libri posita ad litteram E; quae suppellectiles [38] ab ipsa societate, una cum communitate huius loci, comparantur lampadem continuo ardere, quae ut ardeat dominus archipraesbyter oleum suppeditat; extat etiam ostensorium argenteum radiatum non mediocris sumptus, cum radiis inauratis, in quo exponitur divinum Sacramentum, praesertim in die Corporis Christi, quo die fit etiam processio nec non exponitur singulis dominicis ab octava Paschatis ad commemorationem Defunctorum, ex populi devotione, a quo colliguntur eleemosynae per reverendum sacristanum huius ecclesiae. Vidit etiam amygdalam argenteam intus inauratam, pro communicandis infirmis procul habitantibus. Post haec populo eodem Sacramento benedixit et supra centum utriusque sexus christifidelibus angelorum Panem praebuit. Reposito divino Sacramento sumptisque sacerdotalibus indumentis, missam inter musicalium instrumentorum concentus celebravit, eidem inservientibus in dalmaticis reverendis curatis Sanctae Mariae Iebbethi et Perzacchi; qua absoluta, plurimos alios utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. Dimissis sacerdotalibus vestibus actisque Deo optimo maximo gratias, visitavit olea sancta, in capsula ex nuce, sera et clavi munita et in loculo in cornu evangelii altaris maioris rite instructo, sub sera et clavi bene custodita. [38^v] Vidit vascula maiora stamnea, in quibus eadem olea recipiuntur ab hac cathedrali, ex quibus sanctis oleis portiones filialibus ecclesiis dispensantur, rite instructa. Vidit etiam vascula minora, oleorum scilicet Chrismatis, cathecumenorum et infirmorum, argentea, rite confecta. Visitavit fontem baptismalem, in cappellula iuxta ianuam maiorem ecclesiae positum, rastris, sera et clavi munitis, clausum. Visitavit tria confessionalia, quorum duo sunt a lateribus ecclesiae versus altare maius, tertium ad baptisterium pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit subinde altare maius, marmoreum, consecratum, cuius partes praecipue nuper constructae fuerunt habetque iconem depictum in prospectu chori, decenter ornatum. In hoc altari nullam adesse obligationem missarum asseruit dominus archipraesbyter, sed in eo ipse celebrat et diebus festis applicat pro populo. Hoc altare manenetur de omnibus ab eodem domino archipraesbytero. Altare sanctae Tuscanae, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure huius communitatis, a qua de omnibus manenetur. In hoc altari in reliquiario argenteo christallis munito servantur brachium et dens unus sanctae Tuscanae viduae, [39] de quibus in postrema visitatione anni 1715 et custodiuntur haec reliquiae una cum reliquia sanctae Crucis, in theca ex auricalco posita chrystallo antemunita, cum litteris et sigillo huius curiae, in loculo supra ipsum altare erecto, quod clauditur crate ferrea munita duabus seris et clavibus, quae custodiuntur ab eodem domino archipraesbytero. His factis, thurre adhibito, reliquiam sanctae Crucis deveneratus est. Communitas haec in hoc altari sanctae Tuscanae celebrare facit unam missam singulis diebus festis ob eius religionem erga concivem suam sanctam Tuscanam et erogat stipem ducatorum quadraginta cappellano, qui ad praesens est reverendus dominus Paulus Lazarini, cui ab ipsa communitate constituta haec officitura fuit in partem tituli, seu patrimonii sui, medio instrumenti diei 5 iulii anni 1743 et pro ipso oneri satisfacit reverendus dominus Hiacinthus Putini. Altare Corporis Christi, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure societatis sub eodem titulo, a qua de omnibus manenetur. Haec societas habet redditus et onera ut in pollicea exhibita a domino Christophoro Rivato – capserio et gubernatore praedictae societatis et altaris – in fine huius libri posita ad litteram E, quibus oneribus satisfit per sacerdotes huius ecclesiae. Ad hoc altare extant duo legata: unum relictum a quondam Peregrino [39^v] de Ferrariis; alterum a quondam Raffaele de Ferrariis, pro quibus est onus celebrandi duas missas in hebdomada, sigulas scilicet pro quoque legato. Harum officiarum seu legatorum cappellanus, ab haeredibus praedicti testatoris electus amovibiliter, est reverendus dominus Dominicus Fattorelli, qui ab ipsis haeredibus percipit stipem ducatorum triginta et oneri dimplet. Altare sub titulo beatae Virginis Mariae Veteris seu sanctorum Rochi et Sebastiani, de ratione societatis sub invocatione beatae Mariae et eorundem sanctorum; est marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum. Societas praedicta celebrari facit missam unam singulis diebus festis, alteram in singula hebdomada, quae missae celebrantur partim in supplementum residuarum obligationum, partim pro benefactoribus ipsius societatis, quae missae celebrantur per reverendum dominum Franciscum Conti, pro quibus accipit stipem a praedicta societate ducatorum quadraginta. Habet eadem societas redditus et onera ut in pollicea exhibita a domino Ioanne Baptista Maggia, gubernatore et capserario societatis et altaris praedictorum, in fine huius libri posita ad litteram E. Qui dominus Maggia exposuit quaedam esse onera,

quibus obnoxia est haec societas ex nonnullis legatis eidem relictis, quae quidem onera adimplentur, quamvis redditus pro iisdem [40] oneribus relictis modo non sufficiant, unde hoc vergit in dispendium societatis, quae impendere non potest redditus liberos in aliis usibus piis concernentibus decorem ipsius altaris et sacristiae huius ecclesiae parochialis, quapropter humillime supplicavit suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut sibi resservet, reversus ad ades episcopales – observatis et consideratis documentis neccessariis, quae ab ipso offerentur – reducere onera ipsa et decernere prout expediens et equum videbitur et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus praesul, praedictae supplicationi benigne annuens, sibi resservavit, post visitationem tamquam in visitatione, redducere atque decernere quoad ipsa onera quibus non sufficiunt redditus, se et quatenus et cetera, quidquid et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Altare sancti Ioannis Baptistae, de iure familiae de Lavoriis, marmoreum in mensa, consecratum et icone depicto, in reliquis ligneum. Hoc altare habet redditus – ut constat ex libro pergamena cooperto, a quondam admodum reverendo domino Dominico Ghiotto, archipraesbytero huius ecclesiae, latino idiomate descripto, ubi agitur de altari hoc sancti Ioannis Baptistae familiae de Lavoriis – a nobili Helisabeth Moranda Ruffona libras veronenses duodecim, solidos duodecim, denarios novem exigit; a Carolo Tretio libras venetas sex solidos [40^v] decem; a domino Alexandro Ferrario, iuris utriusque doctore, libras septem veronenses; a nobili domino Raphaele Bongiovanni de Romano libras venetas viginti tres, marcuros duodecim et a conductore domunculae, hospitali contiguae, tronos triginta quatuor, quae capitalia a quondam Petro Antonio Lavorio consignata fuerunt praedicto archipraesbytero, a quo celebrantur missae quaecumque sexta feria pro defunctis eiusdem familiae. Ex eodem libro apparet obligationem missarum maiorem fuisse, sed, cum familia praedicta ad egestatem redacta esset ac propterea, praeter capitalia ut supra cessa, nihil suppeditet aut suppeditare possit, ideo dominus archipraesbyter ad praesens redditus praedictos primum impendit in manutenendo altari praedicto quoad neccessaria; pro iis vero quae supersunt, celebrat tot missas in eodem altari quot celebrari potest, habita ratione eleaemosynae manualis triginta solidorum pro quaque missa. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus mandavit eidem domino archipraesbytero ut in libro peculiari describat quot annis redditus quos percipit ex iisdem capitalibus nec non impensas quas facit pro manutenendo altari ac tandem missas quas celebrat pro residuis fructibus eorumdem capitalium et ita et cetera, omni et cetera. Altare sanctae Catharinae virginis et martiris, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, quod fuit [41] constructum a quondam venerabili domino Benedicto de Signoretis, olim archipraesbytero huius plebis, ut ex eius testamento diei 17 mensis octobris 1438 in actis domini Constantini de Constantinis notarii; nunc vero regitur a societate sub eodem titulo sanctae Catharinae, quae habet redditus et onera ut in pollicea exhibita et in fine praesentis libri posita sub littera E. In hoc altari est beneficium simplex de iure patronatus huius communitatis, quod possidetur a reverendo domino Paulo Lazarini, sacerdote huius loci, ut ex bullis huius curiae episcopalis diei 20 martii 1738 et mandato executivo eiusdem diei, qui percipit fructus tronorum nonaginta sex, marcurosum duodecim, ut ex pollicea ab eodem exhibita et in fine huius libri posita ad litteram E et unam missam quaecumque hebdomada celebrat. Altare sancti Stephani, de iure familiae Conti, marmoreum cum icone depicto, sine tamen portatili, quamvis in ultima visitatione anni 1715 decretum fuerit ut provideatur de portatili intra terminum unius mensis, aliter, elapso termino, suspensum esset; quapropter illud suspensum illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus declaravit, donec de portatili provideatur. Hoc altare manutenetur ex suis redditibus. In hoc altari extat legatum quondam Antonii Conti, cum obligatione [41^v] missarum quinque in hebdomada, ut asseritur in praecedenti visitatione anni 1715; qui reverendus dominus Antonius Conti, in eius testamento diei 28 maii 1663 in actis domini Francisci Bernardi notarii, cuius copia autentica exhibita fuit a reverendo domino Ioanne Baptista Conti, nomine reverendi domini Octavii, eius patris, cappellani huiusmet officiatorum, cui etiam, postquam considerata, restituta fuit, declaravit se cappellam hanc sancti Stephani reparasse et ornasse atque apparamentis pro sacrificio missae dotasse, quae describuntur in eodem testamento ac deinde ordinavit ut cappellanus eligendus pro uno voto a maiori natu eius familiae, habitante in hoc loco Iebbethi, pro altero ab admodum reverendo archipraesbytero huius plebis et pro tertio a sindico huius communitatis, celebrare teneatur quotidie, uno die excepto, singulis hebdomadis in tempore aurorae pro anima sua sorum defunctorum et pro societate Suffragii et agonizantium; cui cappellano assignavit stipem ducatorum octuaginta annuatim et redditus unius domus existentis in contrata Sancti Petri in Carnario Veronae, cum conditione tamen, quatenus electus cappellanus aut non posset aut nollet celebrare singulis hebdomadis missas sex sed quinque tantum, in hoc casu non sit illi eroganda nisi summa ducatorum octuaginta. Cum vero heredem [42] suam instituisset hanc cappellam, voluit ut redditus qui superessent, satisfacto cappellano ut supra, impenderentur in beneficium et decorem eiusdem cappellae, prout videbitur suis commissariis. Ex capitalibus huius haereditatis cum aliqua dispensa fuissent et

domus in contrata Sancti Petri in Carnario Veronae iuxta leges serenissimi principis vendita sint, remanent illa quae descripta sunt in pollicea ab eodem reverendo cappellano exhibita et in fine huius libri posita ad litteram E, ex quibus percipitur quotannis summa tronorum quingentorum triginta septem, solidorum sex. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, olim de iure familiae de Morandis, nunc autem de iure societatis Rosarii, cui ab ipsa familia donatum fuit, a qua manutinetur; est marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum. Haec societas habet redditus et onera ut in pollicea exhibita a Ioanne Stevani, capserio eiusdem societatis et in fine huius libri ad litteram E posita, quae onera adimplentur a sacerdotibus huius loci, prout ab ipso capserio ad id deputantur. Ex tabella posita in sacristia huius parochialis apparet consuevisse olim societatem ipsam celebrari facere quinque officia pro confratribus et consororibus, in quorum singulis impendebat tronos viginti, quae officia – ut interrogatus [42^v] respondit praedictus capserius – nunc temporis celebrari non fiunt et quia confratres nihil contribuunt et redditus societatis – impletis oneribus descriptis in pollicea – vix sufficiant ad manutenendum altare et eius ornamenta, praecipue cum ipsa concurrat in expensis pro sacristia manutenenda. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit ut, si, adimpletis ut supra oneribus et manutento altari et eius ornamentis, aliquid supersit impendantur pro missis celebrandis pro benefactoribus huius societatis et ita et cetera. In hoc ipso altari est officitura relicta a quondam domina Paula dal Ben, uxore nobilis domini comitis Ioannis Francisci Bevilaqua, quae reliquit unam possessionem sitam intra agerem magistrum Athesis, exceptis tribus agris nuncupatis *la Sparesara* et domum cum areas et cetera in pertinentia Iebbethi, ad hoc ut ex eius fructu primum celebrarentur missae quatuor in hebdomada, comprahensis diebus dominicis, in hoc altari et portio altera ducatorum triginta cederet beneficio piae operi sanctae Caritatis huius loci, reliquum impenderetur a praedicta societate Caritatis, cum assensu suorum haeredum, pro dotandis puellis huius loci bonae et castae vitae, in quantitate ducatorum decem pro singulis, ut constat ex particula eiusdem testamenti diei 6 iulii 1647 in actis domini Caroli Corbioli notarii autentice ibidem exhibita, visa et restituta et cetera. Has [43] missas celebrat reverendus dominus Ioannes Baptista Conti et accipit stipem ducatorum sexaginta a nobili domino marchione Horatio de Sacramosio, successore in iis bonis praedictae nobilis testatricis. Est in hoc ipso altari perpetuum beneficium, de iure patronatus – ut assertum fuit – excellentis utriusque doctoris domini Nicolai et fratris Ruffoni, tamquam haeredum familiae de Morandis pro uno voto, pro altero vero huius societatis, accedente consensu domini archipraesbyteri, cuius ad praesens rector est reverendus dominus Octavius Conti, cum bullis episcopalibus diei 29 aprilis 1715 et mandato executivo eiusdem diei, qui tenetur celebrare missam singulis diebus dominicis et alteram in singula hebdomada et accipit stipem a praedictis heredibus ducatorum sexaginta in anno. Excellens utriusque doctor Nicolaus Ruffoni, pro se et tamquam curator domini Ioannis Pauli Ruffoni fratris sui, ut apparet ex actu diei 12 ianuarii 1747 in actis domini Ioannis Dominici Muti Muttoni notarii atque uti heredes quondam dominae Helisabeth Morandi eorum matris, quae fuit ultima superstes familiae Morandae atque adeo uti patroni praedicti beneficii, una cum reggentibus societatis ut supra, comparuit exposuitque haereditatem familiae Morandae simul cum iure patronatus suprascripto, libere ab intestata praedicta eius parente sibi et praefato fratri suo obvenisse, ut patet ex additione ipsius hereditatis diei 22 novembris 1740 ex libro additionum officii Pavonis cumque liberum sit sibi suoque fratri [43^v] quatenus capax esset disponere non modo de hereditate ipsa verum etiam de eodem iure patronatus et constet intentionem institutoris istius fuisse ut iuspatronatus huiusmodi sit penes maiorem natum familiae, prout ex actu institutionis in testamento condito anno 1630 die 13 augusti in actis domini Dominici Mandola notarii per quondam dominum Andream Morando, ad quod et cetera ideoque humiliter supplicavit suam illustrissimam et reverendissimam dominationem, praedicto sui et fratris nomine, ut dignetur declarare et decernere huiusmodi iuspatronatus procedere debere ut institutor voluit, scilicet illo tantummodo in casibus frui et uti posse maiores natu familiae suae et suorum haeredum atque ita se se assentire velle et omni meliori modo disponere declaravit et ita et cetera. Qua reverenti instantia audita et intellecta, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, considerata huiusmodi patronatus institutione nec non intentione instituentis, considerato iure quod pertinet ad praedictos dominos fratres Ruffoni aliisque consideratis considerandis, stante praesertim declaratione ab ipsomet excellenti domino Nicolao uti curatore etiam fratris, ut supra facta, declaravit ac decrevit votum unum, quod pertinet ad ipsos fratres pro iure praedicto patronatus, stantibus ut stant, accipi posse et licere in electione et praesentatione a maioribus natu ipsius familiae Ruffoni et haeredum privative quad omnes alios et cetera et ita et cetera, omni et cetera. [44] Insuper praedictus excellens Ruffoni, cum in visitationis actu quod respicit suum iuspatronatus audisset expressum eligendum sacerdotem ad hoc beneficium, cum consensu domini archipraesbyteri, contradixit protestando ad ipsum dominum archipraesbyterum nihil iuris pertinere circa electionem aut praesentationem huiusmodi beneficii, cum ex

institutione hoc concessum non fuerit archipraesbytero ipsi, prout sibi resservat probare post peractam visitationem. Quapropter instetit reverenter ut sua illustrissima et reverendissima dominatio sibi resservet, ad sedem suam episcopalem reversus, decernere tamquam in visitatione quidquid competit sibi contra expressionem praedictam et ita et cetera. Non contradixit dominus archipraesbyter quod dominatio sua illustrissima et reverendissima sibi resservet iudicium supra instantiam ut ante factam, cui tamen protestatus est stantibus iuribus a se producendis et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus et cetera, auditis et cetera, sibi resservavit decernere quidquid et cetera super instantiis suprascriptis, post eius redditum Veronam et ita et cetera, omni et cetera. Observavit in visitando altaria superius descripta, scilicet sanctae Mariae Veteris, sancti Ioannis Baptistae, sanctae Catharinae, sancti Stephani et sanctissimi Rosarii, sedilia et scamna ita proxima esse ad ipsa altaria ut sacerdos non possit accedere ad eadem altaria, cum accessus impediatur ab ipsis scamnis, quin etiam non possit descendere a [44] gradu altaris ut iuxta sacros ritus dicat ibidem confessionem et foeminae existentes in praedictis scamnis non modo sint prae oculis sacerdotis celebrantis, verum etiam in actione missae ipsum sacerdotem contingant; quibus observatis, cum et scandalosum hoc cognoverit et omnino contrarium sacris ritibus, decrevit et mandavit ut omnia scamna et sedilia contigua gradibus praedictorum altarium nec non cancelli marmorei qui dividunt ecclesiam per medium breviora fiant, ita ut distent a gradu inferiori cuiuscumque altaris tribus saltem pedibus, quod ita praecepit et mandavit ut exequatur termino duorum mensium, aliter, elapso ipso termino et non parito, altaria praedicta et singula eorumdem sint suspensa, prout nunc pro tunc suspensa illa declaravit. Spectabilis huius loci communitas in hac ipsa parochiali ecclesia celebrare facit quotannis die secunda post primam dominicam Quadragesimae officium quindecim missarum, iuxta dispositionem quondam reverendi Vincentii Chiaretti, quod exequitur; praeterea eadem communitas alia tria officia pro animabus purgatorii celebrare facit, iuxta memoriam descriptam in tabella posita in sacristia. Hisce peractis, in aedes parochiales restitutus, prandium sumpsit. Die antedicta 3 octobris 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, adorato prius in parochiali ecclesia divino Sacramento, una cum reverendissimo domino provicario suo [45] generali, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta. [A margine: San Giuseppe]. Et primum visitavit publicum oratorium erectum in coemeterio iuxta ecclesiam parochialem et sacristiam eiusdem, in cuius ingressu, aspersione oblato ab admodum reverendo domino archipraesbytero cota et stolla induto, se signavit et populum aspersit, quod unicum habet altare, marmoreum cum portatili et icone depicto, sub titulo sancti Ioseph, de iure societatis Saxaginta Iuvenum, quae societas instituta fuit anno 1602 in honorem beatae Virginis Mariae, ad hoc ut pueri et iuvenes qui profiterentur vitam honestam et castam singuli decennii subiecti viventes, monitis alicuius probi viri et se se congregantes statis diebus ad sacramenta suscipienda et preces rosarii fundendas aliisque operibus inhaerentes, prout in capitulis manuscriptis a domino archipraesbytero exhibitis, ibidem visis et restitutis constat, quamdam veluti coronam beatae Virginis Mariae efformarent, ex quo invicem etiam bonorum operum fructibus participarent aliaque spiritualia bona assequerentur et quatenus digni habiti fuissent, ut primum inter novitios reciperentur, deinde, post tres menses, in cathalogo confratrum describerentur ac tandem, post annum eorum probationis, in libro huius coronae, tunc et imagine sacrosancta Domini nostri Iesu Christi Crucifixi donarentur et post eorum mortem suffragiis confratrum digni haberentur. [45] Hoc institutum utrum canonice approbatum fuerit non constat nisi ex praecedentibus visitationibus, in quibus videtur aliquam approbationem obtinuisse. Patri spirituali subiiciuntur hi iuvenes, qui est eorum confessarius et est dominus archipraesbyter qui eos dirigit. Visitavit confessionale, in quo ipse dominus archipraesbyter confessiones sacramentales excipit, interrogavitque eundem dominum archipraesbyterum utrum in eodem confessionali excipiantur mulierum confessiones et respondit eas aliquando audiri; quod, cum ipsum oratorium observasset eiusque situationem et cogovisset confessiones mulierum ibidem non ita in loco patenti audiri, cum hoc oratorium cubiculum potius videatur quam publicum oratorium, prohibuit ac vetuit – sub poena suspensionis eidem domino archipraesbytero et cuicumque sacerdoti – ne audiantur in eo confessionali mulierum confessiones. Paramenta huic oratorio inservientia desumuntur a sacristia ecclesiae parochialis. In hoc oratorio est obligatio missarum ut in pollicea infracitata, quibus oneribus satisfit per reverendum dominum Ioannem Ferrari, sacerdotem huius loci et societas ipsa habet redditus descriptos in eadem pollicea, in fine huius libri posita ad litteram E. Ordinata. Provideatur portatile de tela cerata, qua coopriatur. Quibus habitis et cetera. [46] [A margine: Beata Vergine Maria]. Visitavit publicum oratorium sub titulo beatae Virginis Mariae, cum unico altari marmoreo cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, de iure societatis Sexaginta Virginum, in cuius ingressu admodum reverendus dominus archipraesbyter obtulit aspergillum. Societas haec eodem anno instituta fuit eodemque fere modo quo instituta fuit societas Sexaginta Iuvenum ut supra descripta et ut apparet ex earum regulis

manuscriptis, ab ipomet domino archipraesbytero ibidem exhibitis, visis et restitutis. Ipsae quoque virgines per eosdem gradus ut iuvenes describuntur tandem in libro et subiiciuntur earum patri spirituali, qui est earumdem confessarius; olim, post probatum earum virginitatis propositum, annulo aureo donabantur cum imagine beatae Virginis Mariae; si honesto matrimonio iungi voluissent, sed si non nupsissent officium missarum in earum morte celebrabatur; nunc vero, quando nubunt, loco annuli ex numero praedictarum sexaginta virginum decem sorte extrahuntur coram domino archipraesbytero, quibus singulis datur gratia ducatorum decem, caeteris autem qui sorte extrahi non potuerunt, donantur gratia ducatorum quinque, quae tamen respective gratiae illis non solvuntur nisi tempore earum matrimonii. Defunctis iis autem puellis quae antequam nubant moriuntur, iuxta intentionem instituti et consuetudinem, [46^v] celebrari fit officium iuxta vires gratiarum quas respective obtinuerunt. Redditus huius societatis administrantur a prudenti aliquo viro per communitatem huius loci electo. Interrogavit illustrissimus et reverendissimus praesul utrum capitula instituti harum sexaginta virginum ita observentur ut descripta sunt et quis sit sexaginta puellarum director seu pater spiritualis; cumque, et a domino archipraesbytero et a domino sindico huius communitatis nec non a reggentibus societatis praedictae sexaginta virginum, responsum fuisset nunc earum confessarium deputatum ab ipsomet domino archipraesbytero esse reverendum dominum Ioannem Baptistam Conti atque ipsum dominum archipraesbyterum praesesse pro spirituali gubernio huius pii ac sancti instituti cumque etiam ab ipsomet domino archipraesbytero audisset cupere se ut idem sacerdos perseveret in audiendis confessionibus earumdem puellarum, dum praesertim confidit in eius prudentia, doctrina vitaeque probitate; quoad vero observantiam capitulorum, ab iisdem responsum fuit non ita adamussim illa observari, cum aliquando in acceptandis virginibus ea cura non adhibeatur ut acceptentur illae quae a capitulis maxime requiruntur et aliquando tollerantur in numero sexaginta virginum aliquae quae, ob aliquem notabilem defectum, merito essent ab hoc instituto reiciendae [47] vel saltem aliqua poenitentia corrigendae; quapropter illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, considerans regulas huius instituti et statum pudicitiae qui a virginibus est profitendus, primo confirmavit electionem in confessarium sexaginta virginum praedictum reverendum Conti, donec et cetera; deinde monuit admodum reverendum dominum archipraesbyterum utpote communem patrem huius plebis, ad quem spectat praesertim huiusmodi virginum propositum sanctum servare, ut omni studio, exortationibus et quoties opus fuerit, paternis monitionibus et correctionibus invigilet, attendat et curet ut regulae huius instituti observentur, negando praesertim testimonia iis puellis quae deficient ab iis ad quae observanda tenentur iuxta praedictas regulas. Deinde monuit praedictos prudentes viros, uti gubernatores quoad temporalem administrationem huius societatis, ut ipsi quoque adiuvent ad hoc ut regulae ipsae observentur ac praesertim ne patiantur ut illae participant de emolumentis virginibus huius instituti assignatis, quae sunt contumaces contra observantiam regularum praedictarum, protestando tam praedicto domino archipraesbytero quam praedictis prudentibus viris indignationem omnipotentis Dei quatenus eorum incuria aut coniventia indignae aliquae ex eo numero tollerentur in libro descriptae aut quatenus indignis eisdem concederetur aliquod emolumentum contra voluntatem eorum qui bona sua huic [47^v] societati donarunt ad hoc ut virginitas efloreret et pia ac sancta christiana religio opera fovetur et ita et cetera. Vidit in hoc oratorio unum confessionale, in quo confessiones sacramentales excipiuntur et prohibuit ac vetuit, sub pena suspensionis, praedicto domino archipraesbytero et cuicumque sacerdoti ne in eodem confessionali mulierum confessiones audiantur. In hoc oratorio non extant apparamenta, quia eadem desumuntur ab ecclesia parochiali. Ordinata. Altare provideatur de omnibus tabellis – portatile provideatur de tela cerata qua cooperiatur. Quibus habitis et cetera. [A margine: Sant'Antonio di Padova] Visitavit oratorium sub titulo Sancti Antonii patavini, quod unicum habet altare, marmoreum cum portatili et icone depicto estque de iure scholae bonae Mortis, canonice erectae, ut in praecedenti visitatione anni 1715 fuit assertum. In limine huius oratorii admodum reverendus dominus archipraesbyter obtulit illustrissimo et reverendissimo praesuli aspergillum, quo se signavit et populum aspersit. In hoc oratorio celebratur missa qualibet die martis a reverendo domino Francisco Conti, iuxta intentionem confratrum, prout etiam reverendus dominus Petrus Gaspari celebrat omnibus diebus festis et confratrum intentio est ut satisfiat eorum [48] obligationibus ex legis praedictis eorum scholae, prout constat ex pagella, cuius copia una cum pollicea reddituum exhibita fuit et in fine huius libri posita ad litteram E. Non adsunt in hoc oratorio apparamenta sacra, quia ipsa desumuntur a sacristia ecclesiae parochialis. Vidit in eo sacram reliquam ex ossibus sancti Antonii patavini, in theca ex auricalco ovalis formae, litteris et sigillo illustrissimi et reverendissimi domini domini Ioannis Friderici Ursini Rosa munitam, in hac curia recognitam die 8 novembris 1740, quae servatur in custodia marmorea super gradum ipsius altaris. Confratres praedictae scholae, qui modo sunt 80, induunt cappas nigri coloris et singulis fere diebus festis in hoc oratorio congregantur ad recitandum officium beatae Virginis Mariae aliasque preces iuxta

eorum institutum persolvendas. Conveniunt ad processiones quoties a domino archipraesbytero vocantur et in ecclesia parochiali eorum sumptu Quadraginta Horarum fit expositio; in festis Pentecostes et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi ipsique continuo eidem expositioni intersunt, donec divinum Sacramentum est expositum. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus eorum pietatem nec non solertiam circa adimplendas eorum obligationes ac praesertim charitatem erga divinum Sacramentum et subiectionem erga eorum reverendum parochum comendavit. Vidit confessionale et prohibuit ac vetuit, sub poena suspensionis, [48^v] eidem domino archipraesbytero et cuicumque sacerdoti ne audiantur in eo confessionali mulierum confessiones. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santi Lorenzo e Lucia] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sanctorum Laurentii et Luciae, de iure scholae Disciplinatorum, a qua manenetur; unicum in eo est altare ligneum cum portatili et icone depicto, in cuius oratorii ingressu dominus archipraesbyter obtulit aspergillum suae illustrissimae et et reverendissimae dominationis. Societas praedicta canonice instituta fuit, ut recognitum in praecedenti visitatione et habet confratres modo ad numerum 160, qui induunt sacchum album et habent privilegium pro eorum defunctis ut ex brevi diei 6 decembris 1740, ad septennium dato et in hac curia viso die 11 ianuarii 1741 nec non indulgentiam plenariam concessam interessentibus orationi Quadraginta Horarum, quae fit in die dominica Palmarum in hac ecclesia a domino archipraesbytero, ut ex brevi diei 6 decembris 1740, ad septennium dato et in hac curia viso die 11 ianuarii 1741. Apparamenta desumuntur a sacristia plebis iuxta expressionem quae descripta est in praecedenti visitatione anni 1715. Habet haec societas onera ut in tabella, cuius copiam exhibitam in fine huius libri posui ad litteram E et reverendus dominus Ioannes Ferrari satisfacit huiusmodi obligationibus. [49] Reverendus dominus Hyacinthus Putini celebrat singulis quartis feriis pro confratribus et consororibus defunctis, iuxta piam intencionem huius confraternitatis. Visitavit confessionale, in hoc oratorio de licentia domini archipraesbyteri tentum, in quo prohibuit ac vetuit, sub poena suspensionis eidem domino archipraesbytero et cuicumque sacerdoti, audire mulierum sacramentales confessiones. Supra idem oratorium est locus in quo conveniunt confratres ad recitandam statis diebus coronam beatae Virginis Mariae aliaque pietatis opera exercenda. Confratres ipsi in caritate coniuncti invicem sunt ac pietatis opera exercendo aliis aedificationi existunt atque ideo illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus eos hortatus est ut in sancto proposito bonorum operum perseverent, comendans quoque eorum pietatem ac reverentiam erga divinum Sacramentum. Confratres huius societatis intersunt etiam processioneibus, quoties ab eodem domino archipraesbytero vocantur. Ordinata. Exequatur ordinatio visitationis anni 1715 de cruce cum crucifixo ex auricalco comparando. Quibus peractis, ad aedes parochiales antedictas reversus est et quieti primum, deinde somno incoenatus indulsit. Die dominico 4 mensis octobris 1744. Summo mane reverendissimus dominus provicarius generalis, una cum me notario et reverendo curato plebis Iebbethi, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta. Et primum, visitavit publicum oratorium sub titulo Sanctae Tuscanae, [49^v] [a margine: Santa Toscana] situm infra limites plebis Iebbethi, de iure communitatis ipsius loci, quod oratorium fertur positum in loco ubi domicilium erat praedictae sanctae Tuscanae viduae et ab ipsa communitate de omnibus manenetur. In eo unicum est altare, ligneum cum portatili et icone depicto. In hoc oratorio nulla est obligatio missarum, sed spectabilis communitas huius loci omnibus sabbathis sacrificium Deo offerre curat, in honorem suae protectricis, per reverendum dominum Hiacinthum Putini. Vidit iconem novum positum tectumque sartum. Vidit locum pro sacristia, eidem ecclesiae contiguum, sed quaedam sunt apparamenta sacra de quibus providet sacristia plebis. Vidit etiam campanile, in quo unica extat campanula. Ordinata. Novum antipectile saltem ex chorio inaurato ad altare ponatur – retia ferrea ad fenestras sarciantur et ibidem sphaerae vitreae ponantur, prout etiam oculis in sacristia – ponatur labellum marmoreum in sacristia, ex quo depluat aqua ad abluendas manus, cum manutergio ad illas abstergendas et aliud ponatur labellum pro aqua lustrali pro sacerdotibus ingredientibus oratorium ad celebrandum. Quibus habitis et cetera. [50] [A margine: Decolatio di San Giovanni Battista] Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Ioannis Baptistae Decolati, quod est membrum praepositurae Sanctae Mariae a Glara Veronae, possessae ab eminentissimo et reverendissimo domino Carolo sanctae romanae ecclesiae cardinale Rezzonico, a qua providetur de omnibus. Unicum habet altare, in mensa marmoreum cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum. Retro altare vidit locum sacristiae, ubi custodiuntur sacra apparamenta pro missae celebratione, quae vidit et observavit vilioris esse praecii et aliqua ex his parum decentia. In hoc oratorio ab eminentissimo possessore praepositurae praedictae fit celebrari una missa quacumque sexta feria et sex in die decolationis sancti Ioannis Baptistae et tribuitur reverendo domino Francisco Conti, cappellano amovibiliter electo huius oratorii, pro quacumque missa elemosyna duorum tronorum. Haec ecclesia solvit pro cathedratico episcopatu Veronae libras duas cerae albae. Vidit campanile, cum unica campana. Ordinata. Mundetur calix et mundus semper servetur – sarciatur

planeta, manipulum et stola nigri coloris et cetera – item sarciatur planeta rubei et albi colorum – provideatur de planeta, manipulo, stola, velo ac bursa versicolorum pro die solemnium Decolationis sancti Ioannis Baptistae – provideantur tabellae omnes ad altare, cum coronis argento [50^v] vel auro linito – apponatur labrum in sacristia, ex quo depluat aqua ad abluendas manus ac ibidem sit manutergium – labellum apponatur cum aqua benedicta pro sacerdotibus exeuntibus ad celebrandum. Quibus habitis, ad parochialem ecclesiam reversus est. Illustrissimus vero et reverendissimus dominus dominus episcopus descendit in praefatam parochialem ecclesiam, in qua sacrosanctum missae sacrificium obtulit aeterno Patri eoque absoluto, supra tercentum utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. Pontificalibus subinde indutus, suggestum conscendit, eidem assistentibus ministris duobus reverendis curatis ecclesiarum filialium, scilicet Sanctae Mariae Iebbethi et Sancti Bartholomaei de Perzacco ac ibidem populo frequentissimo vocemque sui pastoris prestolanti paternum ac tempori opportunum sermonem habuit, quo divinum praeceptum dies festos sanctificandi non modo exposuit, sed in primis suasit ut omni studio omnique religione populus iste eo tempore ab operibus huius saeculi vacaret, ut debitum Deo cultum offeret eorumque aeternam salutem precibus, sacramentorum frequentia bonisque atque piis operibus procuraret. In id vero maiori zelo incubuit ut audientes excitaret ad scholam doctrinae christianae adeundum ac praesertim negligentiam parentum exprobravit qui, de temporalibus suae familiae profectibus [51] contenti, nihil fere de suorum filiorum disciplina in catholica fide curant. Ecclesiasticos quoque hortatus est ut in officio se contineant docentes populum vias salutis, de pueris praesertim instruendis curam habentes. Demum humanissimis verbis filiis hisce suis carissimis allocutus, eosdem pastoralis benedictione Deo comendavit et, e suggestu descensus, in aedes parochiales se se recepit et prandium sumpsit. Die antedicta 4 octobris 1744 post prandium. Congregatis discipulis utriusque scholae doctrinae christianae, quae in hac ecclesia parochiali exercetur, puerorum scilicet – quorum schola est in hac parochiali ecclesia – et puellarum – quarum schola est in contiguo oratorio Sexaginta Virginum – illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus descendit in ecclesiam ac ibidem eos interrogatos audivit, quos doctrinam christianam calere cognovit iuxta editionem ab ipsomet publicatam. Cumque deinde eosdem dominus archipraesbyter interrogaverit circa alia praecipua quae tum ad dogmata fidei cum etiam ad legem divinam et sacramenta spectant, comperiit idem illustrissimus et reverendissimus praesul assidua cura eiusdem archipraesbyteri edoctos illos esse in rebus quae ad salutem aeternam spectant, quare studium et charitatem eiusdem domini archipraesbyteri comendavit; sed, cum audisset sacerdotes huius paroeciae non ita sedulo incumbere in hoc opus et ordinem praescriptum a regulis doctrinae christianae huius diaecesis non observari, monuit [51^v] primum eosdem sacerdotes ut suo muneri satisfaciant, deinde dominum archipraesbyterum ne bona de illis testimonia scribat nisi satisfecerint ac deinde mandavit ut ordo praedictus servaretur ac praesertim prior doctrinae christianae eligeretur ab ipso domino archipraesbytero, uti vicario foraneo, caeteri officiales a priore, cum consensu eiusdem domini archipraesbyteri; addidit praeceptum ut instituerentur libri necessarii ad hoc institutum. Et primo: liber pro ecclesiasticis viris describendis, in quo quocumque die festo eorum diligentia vel negligentia respective signaretur, ut ex eo certa norma accipi possit ad testificandum quotiescumque occurrerit super frequentia doctrinae christianae, quae testificatio cum iuramento erit firmanda tum ab archipraesbytero tum a priore eiusdem scholae. Secundo: liber confratrum laicorum, in quo eorum nomina quotannis describentur et e regione horum nominum describi etiam oportebit eorum interessentiam vel absentiam ab exercitio eiusdem scholae nec non eorum communionem quae ab illis fieri debebunt singulis tertiis dominicis cuiusque mensis. Tertio: liber officialium doctrinae christianae, scilicet prioris, viceprioris, cancellarii primi et secundi, capserii, magistrorum, custodum ianuarum ecclesiae et piscatorum, in quo etiam de bimestri in bimestri describantur duo classium regulatores, qui sint ex sacerdotibus huius [52] plebis eligendi a domino archipraesbytero et per turnum mutandi, ita ut omnes sacerdotes suo turno officio hoc fungantur, quorum munus erit dirigere classes illasque formare tam quoad mares quam quoad foeminas, in quarum classium praecipuis sacerdotes aptiores pro magistri deputentur, deinde gradatim alii ecclesiastici in aliis classibus et clerici ac demum laici, qui laici, magistri si supersint, sedere debebunt distributi in classibus in quibus docent ecclesiastici, ut omnes cooperentur huic sancto pioque operi. Quarto: liber scholae doctrinae christianae puellarum, in quo primum describentur officiales, earum scilicet superiorissa et vicesuperiorissa et magistrae, quae omnes deputabuntur a domino archipraesbytero, qui etiam deputabit eiusdem scholae duos prudentes et graves viros ut custodes huius scholae, quorum officium erit praecipuum ut vigilant, attendant et curent ut honeste, sancte et sollicite schola ipsa peragatur. Quinto: liber in quo solummodo describentur nomina cuiuscumque discipulae et magistrae intervenientis ad hanc scholam, ad hoc ut dominus archipraesbyter ex illo cognoscat earum respective diligentiam, ut se dirigat in scribendis testimoniis super frequentia earumdem in doctrina christiana ac praesertim quoad sexaginta virgines quae testimonio huius frequentiae

muniri debent quoties ad gratias aspirant, quae illis conveniunt ex eorum instituto. Qui postremi duo libri a confessario seu patre spirituali earumdem [52^v] sexaginta virginum deputando a domino archipraesbytero custodiri debebunt et a quo ea quae supra ordinata sunt describentur. Antequam opus huius scholae completeretur, dominus Ioseph Mostarda, prior praedictae scholae, obtulit illustrissimo et reverendissimo praesuli librum pergamena coopertum foris inscriptum *Libro delli instramenti della Dottrina Cristiana di Zevio* in cuius primo folio legitur: *Autentica memoria piae dispositionis quondam Reverendi Domini Ioannis Franco olim Curati huius Plebis*, qui huic societati doctrinae christianae quaedam capitalia ibidem descripta donavit medio instrumenti diei 2 ianuarii 1620, in actis quondam domini Ioannis Francisci Lavori notarii, ad hoc ut unus ducatus prima quaque dominica mensis pro medietate pueris, pro altera medietate puellis distribueretur, qui magis in doctrina christiana instructi essent illamque frequentassent et, si quid ultra duodecim ducatos ut supra distribuendos superesset, cederet beneficio administratoris huiusmodi suae piae dispositionis, qui ordinavit ut esset vel dominus archipraesbyter vel eius curatus aut unus maiorum clericorum, sive alius confrater eius societatis, aut confrater Coronatorum aut prior disciplinae, aut aliquis ex massariis aliarum societatum. Capitalia praedicta sunt descripta in pollicea a praedicto domino Mostarda priore exhibita, et in fine huius libri posita sub littera E, [53] quorum redditus est tronorum septuaginta sex, marculorum sexdecim et ex his distribuunt quantitatem ut supra constitutam; sed, interrogatus praedictus dominus prior num distribuatur et quantitas diligentioribus discipulis et frequentioribus, respondit consuevisse ex singulis classibus sorte extrahi respective pueri et puellae, et qui extrahuntur donantur singuli duobus marculis. Quod cum contrarium sit praedictae dispositioni praedicti benefactoris, cuius intentio fuit hoc dono allicere pueros et puellas ad discendam et disputandam doctrinam christianam, ea propter illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit ne, iuxta praedictam consuetudinem, quae abusus est, distribuatur huiusmodi pecunia, sed iis detur et disperciatur qui, vel in recitanda doctrina vel in disputanda aliis praestant, habita ratione etiam frequentiae cuiuscumque; alias protestavit administratores huius piae dispositionis reddituros esse districtam rationem Deo, quod negligenter et contra contentionem disponentis ac profectum discipulorum redditus huiusmodi consumpserint. Haec autem quae superius constituta sunt, habita proportione et respectu loci et personarum, mandavit ut etiam in aliis ecclesiis huius plebis et vicariae foraneae in quibus scholae huiusmodi doctrinae christianae exercentur omnino observentur, quibus ut dominus archipraesbyter, tamquam [53^v] parocus et respective vicarius foraneus, sedulo invigilet ordinavit et mandavit, sibi rationem redditurus et penas laturus in casu negligentiae. Quibus ita ordinatis, declaratis ac decretis, dimisit utrasque scholas doctrinae christianae, quarum alumni paternam suam benedictionem largitus est. Sumptis subinde pontificalibus indumentis, supra biscentum utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. His expletis, recurrente in hac die solemnitate sanctissimi Rosarii, ipsum cum suo clero illustrissimus et reverendissimus praesul recitavit eoque absoluto, in edes parochiales se se recepit et subinde, cum ad sui notitiam pervenisset quamdam mulierem ex familia Garbella, aegrotam, quam maxime pastorem benedictionem exoptare, ad eandem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus se contulit et pastorem illi benedictionem impertitus est. Regressus in aedes parochiales sepe dictas, in iis se se recepit et quieti primum ac somno incoenatus se dedit. Die lunae 5 mensis octobris 1744. Reverendissimus dominus provicarius generalis summo mane huius diei, una cum me notario, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta, intra limites parochialis ecclesiae Iebbethi sita. Et primum, visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Francisci [54] [a margine: San Francesco in Zenzele] in contrata *Le Zinzale* nuncupata, de ratione domini Andreae Marchiori tamquam haeredis quondam domini Francisci Gandulfi, qui anno 1707 hoc oratorium erexit, ut apparet ex inscriptione in lapide marmorea, posita iuxta ostium per quod ingreditur in sacristiam. Unicum habet altare, ex muro in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum, in quo nulla est obligatio missarum, ut fuit assertum; in eo tamen celebrat una die infra hebdomadam reverendus dominus Ioannes Baptista Bardini, sacerdos sarzanensis, de quo infra dicitur et accipit stipem a conductoribus praediorum praedicti domini Marchiori, qui ex eorum devotione hoc sacrificium offerri curant. Visitavit sacristiam et in ea apparamenta et vasa ad missae celebrationem necessaria nec non campanile, in quo una extat campanula. Ordinata. Provideatur de cruce cum crucifixo, in medio altaris ponenda – aptetur crux ferrea in culmine tecti – fenestrae ecclesiae et sacristiae muniantur ramatis ac speris saltem linteis – provideatur de apparamento et missali pro missis defunctorum – exequatur ordinatio praecedentis visitationis anni 1715 [54^v] de sarciendo et mundando icone. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santo Spirito] Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Spiritus, de ratione venerabilis monasterii reverendarum monialium Sancti Spiritus Veronae, a quo manutenetur. Unicum habet altare, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum. In hoc oratorio nullam adesse missarum obligationem assertum fuit; moniales tamen praedictae impendunt sex ducatos pro

tot missis celebrandis ac propterea conductores praediorum praedicti monasterii huic oratorio proximorum omnibus fere diebus festis missas celebrari faciunt, quae missae celebrantur per reverendum dominum Franciscum Novelli. Vidit sacristiam et in ea exposita apparatus et vasa ad sacrificium missae necessaria et cognovit non modo executas esse ordinationes factas in praecedenti visitatione; verum etiam nihil deficere ad ornatum altaris et ad sacristiae utensilia nec non ad apparatus munditiam et decentiam. Vidit etiam campanile, in quo unica extat campanula. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santi Francesco e Antonio del Bosco] Visitavit publicum oratorium sub titulo Sanctorum Franciscii et Antonii, in contracta *del Bosco* nuncupata, de iure olim familiae Pesenatae, nunc autem nobilis familiae Peres, a qua manusetur. Unicum habet altare, ex muro cum portatili et imagine beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, sub [55] crystallis servata et sine imaginibus patronorum. In hoc altari est obligatio duarum missarum in hebdomada, ex legato quondam Bartholomaei Servidei, qui sacerdoti satisfaciendi huiusmodi obligationi statuit stipem ducatorum triginta, erogandam eidem, ut constat ex relatione praecedentis visitationis anni 1715, in qua, quamvis moniti fuerint qui monendi erant ut integre huic legato satisfacerent, nihilominus nunc temporis tantummodo in festis diebus celebratur in hoc altari missa a reverendo domino Ioanne Baptista Bardini suprelato et accipit stipem a nobili domino comite Antonio Maria Peres ducatorum triginta; quapropter monuit iterum eundem cappellanum eique praecipit ut monitum praecedentis visitationis referat praedicto domino comiti Peres, ad hoc ut satisfacere faciat obligationi supradescriptae duarum missarum in hebdomada, ne in extremo diei iudicio districtam rationem reddat quod non satisfecerit piae voluntati praedictae, ut ipse tenetur. Vidit sacristiam, in qua servantur apparatus et vasa sacra, quae descripta sunt in pollicea exhibitae et in fine huius libri ad litteram E positam quaeque vidit et visitavit eaque satis esse ad divinum cultum decentia invenit. In eadem sacristia vidit duo fanalia, umbellam et velum superhumerali nec non quatuor cereos, quae utensilia [55'] subministrata fuerunt a plebe Iebbethi et quibus utitur praedictus reverendus cappellanus ex arbitrio reverendi archipraesbyteri, ut infirmos huius vicinia, quae distat procul a plebe, communicet. Vidit vasculum stanneum olei infirmorum, quo item utitur ut supra. Observavit etiam in muro prope altare constructum esse confessionale, assentiente ut supra ipso domino archipraesbytero. Cum vero ut supra de licentia praedicti domini archipraesbyteri exerceatur hic schola doctrinae christianae, expertus est pueros et puellas eiusdem scholae easque bene edoctos in misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem necessariis esse comperit. Hoc oratorium visitantes in die dominica infra octavam Nativitatis Beatae Virginis Mariae fruuntur indulgentia plenaria, ut ex brevi ad septennium dato die 23 iulii 1744, in hac curia viso et approbato die 2 septembris 1744. Observavit in sacristia ostium quod tendit in aream praedicti domini comitis Peres quodque in praecedentibus visitationibus ut clausum haberetur mandatum fuit. Cum tamen reverendus Bardini suprascriptus statum animarum huius vicinia praesentasset, quae sunt ad numerum 283 et exposuisset oratorium angustum esse, ita ut, cum exercitium doctrinae christianae peragitur, vix idem oratorium foeminas capit et mares congregantur in sacristia, ut etiam separati ab illis doctrinam christianam adiscant ideoque supplicavit ut, stantibus prout stant, tolleretur ostium [56] huiusmodi patere; quapropter, cum huiusmodi instantiam rationi consonam considerasset, ostium ipsum patere pro interim et pro huiusmodi usu ac necessitate concessit, et ita et cetera, omni et coetera. Ordinata. Paretur locus pro oleo infirmorum in oratorio a parte evangelii – in altari collocentur duo simulacra, in marmore vel in ligno sculpta, alterum sancti Francisci assisiatis, alterum sancti Antonii patavini, qui cum sint patroni titulares huius oratorii, ibidem eorum imagines sunt venerandae – fenestrae iuxta ianuam huius oratorii muniantur retibus ferreis et speris vitreis – provideatur de amygdala, de umbella et de velo superhumerali decenti pro communicandis infirmis huius vicinia, quae idem servantur donec videbitur domino archipraesbytero ex hoc oratorio infirmos praedictos communicandos. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santissima Trinità in Volon] Visitavit ecclesiam sub titulo Sanctissimae Trinitatis, in contracta *del Volon* nuncupata, de iure nobilis domini comitis Marci Antonii Miniscalco, a quo de omnibus manusetur. In eo duo sunt altaria: maius scilicet ligneum cum portatili et icone depicto. In hoc altari per modum provisionis est tabernaculum ligneum, positum ex licentia et voluntate domini archipraesbyteri; in hoc ipso altari celebrat reverendus dominus Valentinus Manfrinati, cappellanus huius oratorii ammovibiliter electus a praedicto nobili domino comite, qui percipit redditus ex campis octo, assignatis pro [56'] dote huius oratorii et tenetur celebrare omnibus diebus festis nec non celebrare faciendi tres alias missas in die Sanctissimae Trinitatis quique inhabitat in domo contigua, de ratione eiusdem ecclesiae. Visitavit altare beatae Virginis Mariae a Rosario, alias sanctissimae Annunciationis nuncupatum, de iure societatis in hac ecclesia existentis; est de muro constructum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis Mariae, ex ligno sculpta, sub crystallis servata. Haec societas tamquam canonice erecta inuitur in praecedenti visitatione 1715 nullosque habet redditus aut onera, sed tantum ex confratrum eleemosynis manusetur hoc altare et providet pro cultu divini Sacramenti

quoties ad infirmos deferri oportet, concurrente communitate Iebbethi. Vidit amygdalam argenteam intus inauratam riteque constructam nec non velum superhumerali, umbellam, fanalia et vas olei infirmorum, ex stamno rite instructum nec non suppellectiles pro sacrificio missae existentes in proxima sacristia, quae omnia descripta sunt in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera E. Huiusmodi sacramenta hic servantur vel administrantur, prout etiam sacramentum poenitentiae in confessionali existenti in hac ipsa ecclesia – quod vidit et visitavit – ex licentia et arbitrio domini archipraesbyteri plebis, a praedicto reverendo [57] cappellano, ab ipso domino archipraesbytero deputato. Visitantibus hoc oratorium in die Sanctissimae Trinitatis concessa est indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico, ad septennium dato die 6 octobris 1740, in hac curia viso die 10 aprilis anni 1741. In hac ecclesia exercetur schola doctrinae christianae, de licentia antedicti domini archipraesbyteri et animae huius viciniae sunt circa quingentae. Vidit etiam campanile, in quo unica est campanula. Ordinata. Rimulae circum portatile altaris beatae Virginis a Rosario obtinentur – fenestris ecclesiae ponantur retia ferrea et sperae saltem linteae. Quibus habitis et cetera. [A margine: Sant'Antonio Abbate in Rivalonga] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Antonii abbatis seu Sanctorum Rocchi et Sebastiani, de iure haeredum quondam nobilis domini comitis Antonii de Seratico, in contrata *Rivalonga* nuncupata situm, quod iam suspensum ut in praecedenti visitatione; et quamvis patroni moniti fuerint, hucusque nihil providerunt ne suspensum maneat, quapropter ipsos monendos decrevit, aliter, nisi providerint, profanandum esse declaravit et ita et cetera. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Francesco in Rivalonga] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Francisci, in contracta *Rivalonga* nuncupata, de iure nobilis familiae dominorum comitum de Alegris. Unicum habet altare, marmoreum [57^v] in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum, quod manutenetur a praedicta nobili familia. Retro ipsum altare vidit locum pro sacristia et in eo apparamenta et vasa ad sacrificium missae necessaria et de quibus sufficienter est provisum. In hoc oratorio nulla est obligatio missarum, sed in eo celebrat reverendus dominus Ioannes Maria Rizzotti de Sancta Maria Iebbethi diebus festis aliisque, ex patronorum devotione. Vidit etiam campanile cum unica campanula. Ordinata. Exequatur ordinatio facta in praecedenti visitatione anni 1715 de providenda planeta nigri coloris, cum simplicibus sacerdotibus non liceat celebrare pro defunctis cum planeta violacei coloris. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Francesco in Campagna] Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Francisci in Campanea, de ratione nobilis domini marchionis Horatii Sacramosii, in quo unicum vidit altare, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum. Vidit in eo reliquiam ex ligno sanctae Crucis Domini nostri Iesu Christi, in cruce crystallina argento fillograna inaurato circum ornata, sigillo et litteris huius curiae diei 3 octobris 1740 munitam, quam ideo recognovit et deveneratus est. Vidit etiam reliquiam, nempe caput sanctae Clementiae martyris, positam in arca lignea tribus crystallis munita, cum illustrissimi et [58] reverendissimi domini domini episcopi Barbado praedecessoris litteris et sigillo, quod sigillum, cum esset parumper abrasum, sigillo suae illustrissimae et reverendissimae dominationis eadem arca quinque in locis retro munita fuit. Visitavit sacristiam et in ea apparamenta et vasa, de quibus legitur in pollicea exhibita et in fine huius libri sub littera E posita ac iisdem sufficienter provisam esse reperiit. Vidit campanile cum campanula. In hoc oratorio celebrat reverendus dominus Simon Rizzotti singulis diebus festis, ex legato quondam nobilis domini marchionis Francisci Sacramosii et accipit stipem ducatorum sexaginta in anno. Docetur in hoc ipso oratorio doctrina christiana pueros, de licentia domini archipraesbyteri plebis. Vidit ostium per quod ingreditur in aedes privatas ibidem contiguas, in quibus degit custos ipsius oratorii, deputatus a nobili domino patrono, quod tollerari mandavit cum idem oratorium nimis sit procul ab habitantibus positum. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Procolo] Visitavit denique publicum oratorium sub titulo Sancti Proculi, de iure communitatis Iebbethi, a qua de omnibus manutenetur. Unicum habet altare, marmoreum in mensa, in reliquis ligneum cum icone depicto, in quo nulla est obligatio missarum, sed ex devotione aliquando in eo celebratur et paramenta dessumuntur [58^v] a sacristia parochialis ecclesiae. Vidit campanile, in quo extat unica campanula nec non domum quam inhabitat Ioseph Guarnieri haeremita ad custodiam huius oratorii deputatus, quam domum eidem praestat titulo charitatis nobilis dominus Hieronymus Bonzuanne, prout fuit assertum. Ordinata. Exequantur ordinationes in praecedenti visitatione anni 1715 factae de reducendo portatili cominus pectori celebrantis ac illud parumper attollendo illiusque rimis obturandis; de retibus ferreis apponendis ad fenestras; de labello aquae benedictae, quod est extra portam maiorem, intus ecclesiam ponendo – muri qui sunt prope muros ecclesiae ante ianuam maiorem ipsius per communitatem restaurentur. Quibus habitis, ad parochialem ecclesiam reversus est. Illustrissimus vero et reverendissimus dominus dominus episcopus, dum praemissa agerentur per reverendissimum dominum provicarium suum generalem, descendit in parochialem ecclesiam emissaque pia praeparatione, sacrum fecit ac tercentum utriusque sexus christifidelibus celestem Panem praebuit ac supra quingentos itidem utriusque sexus

christifideles sacro Chrismatis oleo in fronte perunxit. Hisce peractis, in edes parochiales saepedictas reversus est et prandium sumpsit.

[59] [A margine: PERZACCO] Die antedicta 5 octobris 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum reverendissimo domino provicario generali, ceremoniarum magistro, me notario caeterisque suis familiaribus subsecutus, se contulit ad visitandam ecclesiam Sancti Bartholomaei de Perzacco, praeuentibus principalioribus Iebbethi equitantibus nec non domino archipraesbytero eiusdem plebis Iebbethi. Eo perventus, aspergillo oblato a praedicto domino archipraesbytero plebis cota et stolla induto, aqua lustrali populum aspersit, divinum Sacramentum adoravit ac subinde, pontificalibus violacei coloris indutus, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem contiguo, quod etiam visitavit, persolvit. In ecclesiam regressus, violacei coloris indumentis dimissis albisque vestitus praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, continuo eidem inserviente domino archipraesbytero plebis cota et stola induto, visitavit divinum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea et in tabernaculo marmoreo sub sera et clavi servatum et bene tentum. Reverendus curatus huius viciniae testatus est hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; in hac contracta extare animas a communione 295, in totum vero 480; nullum inconfessum habere; tempore paschali schedas distribui et colligi; dum ad infirmos est deferendum, dari [59^v] signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari riteque in hebdomada maiori fieri expositionem. Pro decenti associatione huius sanctissimi Sacramenti extare suppelleciles necessarias, descriptas in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera F; non tamen eae comparatae fuerunt a societate sub titulo ipsius Sacramenti, de qua infra dicitur, cum nullos habeat redditus, sed ex eleemosinis piorum, quae administrantur ab electis istius viciniae, quorum munus est gubernium huius ecclesiae. Vidit ostensorium radiatum argenteum, in quo fit expositio divini Sacramenti a festo sanctae Crucis mensis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis mensis septembris et in die dominico infra octavam Corporis Domini, prout etiam eo die fit processio; nam die festo eiusdem sacratissimi Corporis Christi accedit ipse reverendus curatus ad plebem pro interessendo processioni quae fit in eadem plebe. Intortitia sunt sex pro associando sanctissimo Viatico et tres societates, quae sunt in hac ecclesia, duo ex illis suppeditant. Vidit etiam amygdalam argenteam intus inauratam, rite instructam. Populo subinde hoc ipso divino Sacramento benedixit. Reposito sanctissimo Sacramento, visitavit olea sancta et primum vascula maiora, ex stamno, eorumdem oleorum sanctorum, in capsula ex nuce, sera et clavi munita et in loculo in cornu evangelii altaris maioris sub sera [60] et clavi tute servata, in quibus vasculis eadem olea recipiuntur a plebe Iebbethi. Vidit vascula minora, cum oleis scilicet Chrismatis, cathecumenorum et infirmorum, quoque ex stamno, rite quoque instructa et bene tenta. Visitavit fontem baptismalem, in cappellula in cornu epistolae altaris maioris, iuxta ianuam maiorem ecclesiae positum, rastris ligneis sera et clavi tuta munitis clausum. Duo vidit etiam confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit subinde altare maius, marmoreum cum portatili et imagine sancti Bartholomaei ex ligno sculpta in prospectu chori, in quo continuo lampade ardere fassus est reverendus curatus. In hoc altari est societas sanctissimi Corporis Christi, quae in visitatione anni 1715 inuitur canonice erecta, a qua ex piorum eleemosynis manutinetur altare, lampas et cerae; nam ipsa societas paucos habet redditus, scilicet: ex capitali ducatorum centum, ducatos sex, pro quibus tenetur celebrari facere missas decem pro intentione quondam Zurlotti; item pro alio capitali ducatorum quinquaginta, ducatos tres, pro quibus tenetur celebrari facere sex missas, iuxta intentionem quondam Ioannis Baptista Rossi; qui redditus exiguntur et obligationes adimplentur per reverendum curatum huius ecclesiae. [60^v] Ipsa societas deberet exigere fructum ducatorum centum a familia Zambelli huius loci, prout exegit paucis ab hinc annis, donec reverendus dominus Bartholomaeus Zambelli, filius testatoris qui hoc legatum reliquit huic societati, renuit solvere fructum praedicti capitalis, praetextu quod ipse satisfaciat pro hoc legato; quapropter mandavit reggentibus ipsius societatis ut, postquam dominatio sua illustrissima et reverendissima reversa fuerit ad sedem suam episcopalem, recurrant ad ipsam, quae remediis iuris adstringet quatenus et cetera praedictum sacerdotem ad satisfaciendum oneri a patre suo relicto, sibi ad hoc resservans decernere quidquid et cetera. Aliae non sunt obligationes in hoc altari, sed in eo reverendus curatus celebrat et diebus festis applicat pro populo. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum in mensa cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis ex ligno sculpta, in reliquia ex gypso elaboratum, de iure societatis sub eodem titulo, quae canonice erecta colligitur ex praecedenti visitatione. Haec societas habet redditus et onera ut infra, scilicet: exigit a Dominico Turra tronos decem octo, pro quibus tenetur quotannis celebrari facere missas quinque pro quondam Andrea Meruzzo; a Dominico Mori tronos duodecim, pro quibus tenetur celebrari facere tres missas pro quondam Nadalina; ab heredibus quondam reverendi Augustini Brunetti tronos decem octo, pro quibus tenetur celebrari facere officium annuum missarum

quatuor pro anima [61] praedicti quondam reverendi domini Augustini Brunetti. Item a praedictis Zambelli ipsa societas habet ius exigendi tronos triginta septem, marculos quatuor, quos tamen renuit solvere pretextu ut ante, quapropter mandavit ut supra. Eadem societas exigit etiam a Michaelae Ridondola tronos decem et octo, a familia Zanchi minalia duo frumenti et a nobili domino comite a Riva tronos decem, qui posteriores redditus nulli obligationi sunt obnoxii et ex quibus nec non ex eleemosynis manutenet hoc altare. Altare beatae Virginis Mariae a Carmelo, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ex muro constructum, de iure societatis sub eodem titulo, quae canonice erecta apparet in praecedenti visitatione anni 1715 quaeque habet redditus et onera ut infra, videlicet: ab Angelo Cattani exigit tronos quadraginta duos, pro quibus celebrari facit quotannis missas quatuordecim; nam legatum quondam Antonii Fredi hac conditione relictum fuit, ut medietas fructuum impenderetur pro missis, altera medietas cederet beneficio societatis. A Ioanne Mori tronos decem octo, marculos duodecim sine obligatione. Ab Andrea Resi tronos decem octo, marculos duodecim, sine ulla obligatione. A Marco Antonio Menegati tronos viginti, solidos duos, ex quibus et ex eleemosynis manutenetur altare. Visitavit sacristiam et in ea, in armariis ligneis servata, [61^v] apparamenta et vasa ad missae sacrificium neccessaria quaeque descripta sunt in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera F. Vidit etiam et visitavit libros huius curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum et mortuorum. Nota status animarum huius viciniae est paenes dominum archipraesbyterum plebanum, ad quem quot annis statum ipsum mittit reverendus curatus. His actis, convocatis pueris et puellis huius contractae pro exercitio doctrinae christianae, illustrissimus et reverendissimus praesul huic sancto operi incubuit et per reverendum curatum interrogatos, illos respondentes audivit et per varias interrogationes omnes et singulos, non sine animi sui laetitia, in misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem neccessariis expertos et bene edoctos esse cognovit hortatusque est ipsum reverendum curatum ut in eodem sancto opere magis in dies perseveret, aeternum praemium consecuturum. Praedictus reverendus curatus electus fuit amovibiliter ab admodum reverendo archipraesbytero plebis, a quo illi assignata fuit portio decimae huius loci, loco ducatorum viginti quatuor qui olim curato huius loci assignati fuerant et deinde communitas solvit eidem tronos duos pro missis quas celebrat singula quaque dominica et applicare debet pro populo. [62] Quibus peractis, visitavit campanile, in quo duae sunt campanae nec non organum, omnia bene tenta. Ordinata. Eradantur herbae e coemeterio, comburantur illarumque cineres in eodem coemeterio spargantur et continuo abrasae servantur – clavis tabernaculi inauretur vel fiat argentea – fiat novum conopeum quo omne ciborium fontis baptismali contegatur et descendat conopeum infra ciborium ipsum ita ut cooperiatur etiam fons ipse – aptetur spera vitrea fenestrae quae est in cappellula baptisterii – scamnum, quod erat ante ipsum fontem baptismalem et impediabat aditum ad ipsum quodque ex ordine suae illustrissimae et reverendissimae dominationis ammotum est, numquam reponatur nec aliud eius loco, ita ut additus semper pateat – confessionalibus ponantur pagellae casuum resservatorum ex parte confessarii et devotae imagines ex parte poenitentis – rimulae quae sunt circa portatilia omnium altarium obturentur – in libro renatorum et in singulis partitis exprimatur nomen et agnomen baptizantis – in libro mortuorum exprimatur causa mortis. Egressus ex ecclesia, vidit et visitavit publicum oratorium [62^v] [a margine: San Bortolamio presso Perzacco] sub titulo Sancti Bartholomaei prope praedictam ecclesiam Perzacchi, quod observavit eadem esse in conditione uti descriptum est in praecedenti visitatione anni 1715; nunc vero – ut assertum fuit – eo loco utuntur confratres societatis beatae Virginis Mariae a Carmelo, ad quasdam functiones peragendas velut pro describendis confratribus, pro eleemosynis ab ipsis colligendis aliisque huiusmodi; quapropter suspendit decernere ut profanetur ac diruatur donec vel ad priorem usum oratorii restituatur, in eo positus et constructis quae ponenda et construenda erunt iuxta sacros ritus, vel pro usu societatis praedictae et pro eius functionibus, ad suum institutum spectantibus, inserviat. Rhedam suam subinde conscendit et, praeceuntibus plurimis et principalioribus communitatis Iebbethi equitantibus, ad aedes parochiales praedictae plebis cum suo comitatu regressus est, in quibus se se recepit et incoenatus obdormivit.

[A margine. SANTA MARIA DI ZEPIO] Die martis 6 mensis octobris 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum reverendissimo domino suo provicario generali caeterisque suis familiaribus ac communitatis Iebbethi principalioribus, summo mane in propria rheda se contulit ad visitandam ecclesiam curatam Sanctae Mariae de Iebbetho. Quo perventus et sub baldachino receptus, aspergillo oblato [63] ab admodum reverendo archipraesbytero plebis cotha et stola induto, populum aspersit et ante divinum Sacramentum genuflexus oravit indutusque pontificalibus violacei coloris exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem proximo – quod etiam visitavit – absolvit. Dimissis violaceis sacris indumentis albisque sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea in cupa et operculo, in pede autem ex auricalco inaurato et in tabernaculo ligneo itidem inaurato, sub sera et clavi tute servatum. Dixit reverendus curatus

statutis temporibus hoc Sacramentum renovari; dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari, pro qua decenti associatione extare suppellectiles necessarias, quae descriptae sunt in inventario exhibito et in fine huius libri posito ad litteram G quaeque comparata fuerunt ex piorum eleemosynis; communicatis in Paschate schedas distribui et colligi; in hac vicinia habere animas a communione 485, in totum vero 719 nullumque inconfessum existere. Cum vero audisset sepulcrum in maiori hebdomada celebrari cum velis nigris, prohibuit ne deinceps hoc modo celebretur, sed ut iuxta sacros ritus id fiat. [63] Lampadem continuo ardere, pro qua et pro cereis in hoc altari manutenendis omnia suppeditat dominus archipraesbyter; expositionem fieri in secunda et tertia dominica mensis a Paschate resurrectionis usque ad festum Omnium Sanctorum nec non ultima et prima die anni et tribus ultimis diebus bacchanaliorum, ex piorum eleemosynis. Processionem fieri in die octava Corporis Domini; nam in die eiusdem solemnitatis accedit ad ecclesiam plebanam. Vidit amygdalam argenteam intus inauratam, rite instructam nec non ostensorium ex cupro, cuius pes est inauratus et in radiis argento linitum. Populo subinde eodem Sacramento benedixit. Reposito sanctissimo Sacramento, visitavit olea sancta, servata in loculo in cornu evangelii altaris maioris, sub sera et clavi tute custodita viditque vascula ipsa minora ex stamno, in quibus ab eadem plebe olea ipsa desumuntur. Vidit fontem baptismalem, iuxta ianuam maiorem ecclesiae situm, cancellis ligneis sera et clavi munitis, septum. Vidit etiam duo confessionalia, unum mobilem et alterum stabile. Visitavit subinde altare maius, ligneum cum portatili, quod de omnibus manutenetur a domino archipraesbytero plebis, ut in praecedenti visitatione anni 1715 asseritur, [64] in quo nulla est obligatio missarum, sed reverendus curatus in eo celebrat. Sacrum subinde fecit et interea reverendissimus dominus provicarius generalis visitavit altare beatae Virginis Mariae, nuncupatae *del Rilievo*, ligneum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis Mariae, ex ligno sculpta, de iure societatis sub eodem titulo, quae canonice merito erecta creditur, ut ex praecedentibus visitationibus habetque eadem societas redditus et onera descripta in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera G, quibus satisfit. Ordinationes huius altaris executas fuisse apparet. Exposuit Michael Tinazzo, capserius ipsius societatis, nobilem dominum Ioannem Bongiovanni, debitorem capitalis ducatorum biscentum quinquaginta, renuere solvere affictum, ita ut debitor sit tronorum mille centum trium, marculorum decem ex residuis, ut constat ex libro foris inscripto “Residuario della Compagnia della Beata Vergine” folio 14, ibidem exhibito, viso et restituto et cetera; cumque eadem societas iudiciali via intentaverit ac intentet exactionem huiusmodi residuorum et provideat difficile admodum esse ut asequatur intentum, ideo supplicavit reverendissimum dominum provicarium generalem ut declaret an teneatur societas exequi dispositionem testamentariam quondam Francisci Giacometti, descriptam in praedicto libro, ibidem viso et cetera, pro faciendo [64] celebrare missas ex duabus tertiis partibus redditus annui suprascripti capitalis. Qua supplicatione intellecta, declaravit interim suspendendam esse huiusmodi executionem et nihilominus perseverent reggentes societatis procedere via iuris ut obligent debitorem et eius bona ad solvendum residuaque, si exceperint, teneantur, deductis litis impensis et societate compensata de expensis ab ipsa factis in adimplendo huc usque legato ex eo tempore quo redditus non accepit, missas celebrare facere iuxta praedictam dispositionem et ita et cetera. Visitantes hoc altare in die Nativitatis beatae Virginis Mariae fruuntur indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico diei 22 augusti 1744, hodie in hac curia approbato. Altare sancti Antonii patavini, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure nobilis domini Hieronymi Bongiovanni, a quo manutenetur de omnibus. In hoc altari est obligatio missae quotidianae, ut in praecedentibus visitationibus, sed asseruit reverendus curatus ab anno 1732 circiter, ex dispensatione apostolica, alio hanc obligationem translata fuisse. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, aliquibus utriusque sexus christifidelibus angelico Pane reffectis, doctrinae christianae exercitio incubuit audivitque a reverendo curato interrogatos mares et foeminas, respondentem circa fidei misteria aliaque ad aeternam salutem necessaria [65] omnesque bene edoctos esse comperuit ac subinde idem illustrissimus et reverendissimus praesul pluribus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis, altarium visitationem proseguens, visitavit altare Corporis Christi, marmoreum in mensa cum portatili, in gradibus ligneum et in reliquis ex muro constructum, cum imagine Domini nostri Iesu Christi ex ligno sculpta, de iure societatis sub eodem titulo, a qua de omnibus manutenetur. Haec societas canonice erecta apparet in praecedentibus visitationibus habetque redditus et onera quae descripta sunt in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera G. Ex iis redditibus, adimpletis oneribus et ex eleemosynis confratrum nec non ex eleemosynis quae colliguntur in hac ecclesia pro divino Sacramento, manutenetur hoc altare et cerei ac suppellectiles pro cultu eiusdem. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, collato Confirmationis sacramento, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, visitavit altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum in mensa cum

portatili, in reliquis ligneum habetque iconem depictum et est de iure societatis sub eodem titulo, quae hic canonice erecta apparet ex praecedentibus visitationibus quaeque habet redditus et onera ut in pollicea exhibita [65^v] et in fine huius libri posita ad litteram G. Cum vero ex oneribus descriptis in praedicta pollicea non cognovisset descriptum onus quatuor missarum in anno pro quondam Margarita Gliotta, ut constat ex visitatione anni 1715, interrogavit cur reggentes id onus non exequantur responsumque fuit non exequi quia renuit debitor solvere et via iuris contra ipsum multis ab hinc annis proceditur. Visitavit subinde sacristiam et in ea apparamenta et vasa sacra ad missae sacrificium necessaria, quae servantur in armario ligneo quaeque descripta sunt in inventario exhibito et in fine huius libri posito sub littera G. Vidit etiam libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum et mortuorum, quos etiam visitavit. Notam status animarum huius contratae est penes dominum archipraesbyterum plebanum, ad quem quotannis reverendus curatus statum ipsum mittit. Visitavit denique campanile, in quo duae sunt campanae. Ordinata. Crania mortuorum quae sunt insepulta illico sePELLIANTUR – eradantur herbae e coemeterio, comburentur et earum cineres in eodem coemeterio spargantur – muri circumdantes coemeterium restaurentur ubi indigent - [66] provideatur pixis de novo conopeo – locus oleorum sanctorum vestiatur intus panno serico violacei coloris – vas olei infirmorum renovetur et eius operculum fiat ad formam cocleae et in eo vase incidantur litterae *Oleum Infirmorum* – a custodia quae est a parte epistolae, in qua olea sancta non sunt collocata sed sunt in alia custodia supra descripta, deleatur inscriptio *Olea Sancta* – exequatur ordinatio visitationis anni 1715 de dividendo fonte baptismali et in eius imo fodiendo foramine, ex quo depluat aqua in sacrarium, termino bimestris id faciendo, aliter fons ipse sit suspensus, prout illum nunc pro tunc suspensum declaravit – rimae in ciborio omnino obturentur et super ciborium ipsum ponatur conopeum saltem ex medio serico, quod sit latum ita ut ciborium ipsum quacumque ex parte tegatur – confessionali stabili ponatur crates nova cum foraminibus minuctioribus et spissioribus – gradus a candelabris altaris maioris decenti forma pingantur et ex eo removeantur duae inferiores mappae sucidae et mundaе aliae illis substituantur mundaеque omnes omnino serventur – provideatur idem altare de cruce cum crucifixo maiori [66^v] nec non de figura Resurrectionis, ponenda tempore paschali in apice tabernaculi – altare ipsum claudatur a lateribus – christalla anteponantur imagini beatae Virginis Mariae *del Rilievo* nuncupatae et mappae inferiores imundaе removeantur ab altari eiusdem beatae Virginis et mundaе illis substituantur, quae semper ita manuteneantur – rimae circum portatile altaris Corporis Christi obturentur illiusque mappae mudentur et continuo in eo mundaе serventur – mappae altaris beatae Virginis a Rosario mudentur et mundaе in eo semper serventur – removeantur scamna et sedilia quae sunt ante medium ipsius altaris Rosarii quaeque impediunt additum ad ipsum, in quibus mulieres existentes sacerdotem confessionem dicentem contingunt ita ut sacerdos ipse confessionem dicere non potest stans infra gradus altaris, vel scamna omnia quae gradum altaris attingunt breviora fiant, ita ut distent ab eodem gradu tribus saltem pedibus, ut ex hac parte pateat additus liber ad idem altare idque exequatur termino duorum mensium, quo elapso et non parito, altare ipsum sit suspensum, prout nunc pro tunc illud suspendit et suspensum declaravit – firmetur pes calicis antiquioris - [67] oculus sacristiae muniatur speris vitreis – in partitis omnibus et singulis baptizatorum exprimatur nomen et cognomen baptizantis – sperae vitrae ad fenestras ecclesiae sarciantur ubi indigent – tectum ecclesiae illico restauretur, cum plurimus pateat additus pluviae in ecclesiam. Quibus peractis, ad aedes plebanae ecclesiae regressus, prandium sumpsit. Die antedicta 6 mensis octobris 1744 post prandium. Reverendissimus dominus provicarius generalis, cum illustrissimus et reverendissimus praesul in aliis esset negotiis impeditus, descendit ad visitandam sacristiam huius plebis Iebbethi ac in eadem vidit et visitavit vasa et apparamenta sacra tam ad missae sacrificium quam ad functiones ecclesiasticas peragendas necessaria, disposita in armariis ex nuce, de quibus abunde provisam invenit quaeque descripta sunt in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera E, quae omnia manuteneantur a communitate huius loci et a societatibus huius ecclesiae. Curam huius sacristiae exercet reverendus dominus Ioannes Baptista Conti sacrista, qui eligitur ab hac communitate cum assensu domini archipraesbyteri atque ab eadem communitate accipit idem sacrista stipem ducatorum sexdecim in anno. Vidit etiam librum in quo describuntur sacerdotes qui celebrant in hac ecclesia, iuxta ordinationem praecedentis visitationis. [67^v] [A margine: Oratorio privato Sagramoso] Visitavit subinde illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus oratorium in privatis edibus nobilis domini marchionis Horatii de Sacramoso, auctoritate apostolica erectum riteque instructum, in quo unicum est altare, ex nuce cum portatili et icone depicto, bene tentum optimeque de omnibus pro missae celebratione provisum. Posthaec in aedes parochiales restitutus, in proprio cubiculo se se recepit. Coram reverendissimo domino provicario generali comparuerunt syndicus et resonerii huius spectabilis communitatis Iebbethi et exposuerunt in festo Corporis Christi proxime praeterito dissidium exortum fuisse inter hanc communitatem ex una et contractam Sanctae Mariae ex altera, eo quod ista praetenderet ut imago beatae Virginis Mariae, quae ea occasione

defertur a puellis societatis Sexaginta Virginum, anteferetur imagini eiusdem beatae Virginis quae in processione eius solemnitate deferri solet a contracta praedicta Sanctae Mariae; quapropter, cum contracta haec antecedit in eadem processione non modo contractae Iebbethi, verum etiam societati praedictae Virginum, quae societas incedere consuevit post ipsam contractam, insteterunt decerni ut imago beatae Virginis Mariae, quae a praedictis puellis circumfertur intra corpus ab ipsis Sexaginta Virginibus efformatum deferri possit ac debeat, cui corpori de more antecedere debeat contracta praedicta Sanctae Mariae et ita et cetera. Cui instantiae contradixit Valerius Finezzo, reggens contractae [68] Sanctae Mariae et ipsius nomine praetendens aliquam esse consuetudinem contrariam et instetit decerni ac declarari imaginem beatae Virginis quae defertur a societate Sexaginta Virginum esse anteferendam ante suam contractam praedictam; quin immo ceterae imagines sanctorum huius plebis deferendas quoque esse ante omnes imagines beatae Virginis Mariae cuiuscumque contractae et ita et cetera. Quibus instantiis intellectis et, considerato quod imagines beatae Virginis Mariae in processionibus deferri soleant et debeant ab iis qui, ob institutum, aliquod ius habent aut consuetudinem illas deferendi, considerato etiam quod consueverit contracta Sanctae Mariae antecedere ante corpus societatis Sexaginta Virginum aliisque consideratis considerandis, decrevit ac declaravit imaginem beatae Virginis Mariae quae defertur a puellis Sexaginta Virginum vel aliae quaecumque imagines beatae Virginis Mariae, quae deferri solent ab aliis societatibus seu scholis plebis huius loci, deferendas esse post contractam Sanctae Mariae, ita ut haec antecedit cum imagine sua beatae Virginis Mariae; deinde subsequantur puellae cum sua imagine beatae Virginis et aliae societates seu scholae cum earum imagine eiusdem Virginis, prout est de consuetudine, declarando etiam alias imagines sanctorum deferendas esse ante quascumque imagines beatae Virginis Mariae, iuxta morem huius loci et ita et cetera, omni et cetera. Praedictus Tinazzo, reggens contractae Sanctae Mariae, exposuit ex antiqua consuetudine, quoties in sabbatho sancto fit [68^v] sollemnis benedictio cereorum in hac plebe, cereum ecclesiae Sanctae Mariae primum obtinuisse semper locum post cereum plebis, sed nonnullis ab hinc annis praetendere reverendum rectorem Raldoni praecedentiam sui cerei super cereum Sanctae Mariae, ex quo fit ut ab eo tempore homines eius contractae non miserint cereum ad plebem ut ea die benedicatur; quapropter instetit ut decernatur praecedentia pro cereo Sanctae Mariae super cereum Raldoni, praesertim cum constet ecclesiam praefatam Sanctae Mariae fuisse antiquam plebem Iebbethi et cura Raldoni erecta fuerit postquam iam in ecclesia Sanctae Mariae animarum cura exerceretur et ita et cetera. Reverendissimus dominus provicarius generalis et cetera, cum adesset finis visitationis huius plebis et reverendus rector Raldoni non esset praesens, sibi resservavit, eo etiam audito vel in visitatione Raldoni vel post eius redditum in civitate, super his decernere quidquid et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Spectabilis haec communitas administrat, ex decreto illustrissimi et excellentissimi domini Antonii Francisci Farsetti, Veronae praefecti, approbato ab excellentissimo senatu cum litteris ducalibus diei 11 augusti 1712, commissariam haereditatis quondam egregii Pasii de Brentoniis, qui suo testamento diei 2 martii 1622 in actis Dominici Mandola notarii, a domino sindico communitatis exhibito, viso et restituto et cetera, haeredes instituit universales pauperes Iebbethi, cuius haereditatis iussit ut [69] commissarius esset dominus arcipraesbyter pro tempore huius loci. Cum vero petias terrae huic pio operi relictas vendidissent ex lege serenissimi principis, nunc ex capitalibus inde factis percipiuntur fructus tronorum biscentum viginti septem et, iuxta praedictum decretum, reggentes communitatis distribuunt pauperibus huius loci praedictos fructus; qui tamen comendati fuerint testimonio domini archipraesbyteri vel alicuius ex eius curatis. Ipsa communitas deputat officiales ad reggendum aliud pium opus institutum pro pauperibus Iebbethi subveniendis, ex laudato decreto excellentissimi Farsetti; hoc pium opus habet redditus ut in pollicea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram E et expendit redditus in subveniendis pauperibus Iebbethi et eius contractarum, qui tamen sint muniti testimoniis archipraesbyteri vel aliorum curatorum. Praeterea ex iisdem redditibus tria officia celebrare facit et duodecim etiam missas quotannis, ut apparet ex libro foris inscripto “1683 – Libro d’affituali della Santa Carità di Zevio”. Hisce peractis, somno incoenatus indulsit. Die mercurii 7 mensis octobris 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes in praefata parochiale ecclesiam descendit, in qua divinum sacrificium obtulit aeterno Patri eoque absoluto, nonnullos utriusque [69^v] sexus christifideles eucharistico Pane refecit et plurimos alios sacro Chrismatis oleo in fronte perunxit. Posthaec in aedes parochiales regressus, in suo cubiculo, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: admodum reverendus dominus Ioannes Aroldi annorum 43, archipraesbyter huius plebanae ecclesiae, quam obtinuit anno 1734, ut ex bullis episcopalibus et mandato executivo diei 9 septembris 1734 et est vicarius foraneus, cum mandato diei 12 ianuarii 1736, cum subiectione ecclesiarum in eo descriptarum, qui obtulit libros curae, matrimoniorum, baptizatorum, mortuorum status animarum et congregationum et, interrogatus de vita, moribus et diligentia ecclesiasticorum in hac plebe degentium et an

in hoc loco adsint publici peccatores, respondit ecclesiasticos omnes in hoc loco comorantes bonis esse vita et moribus et diligentes propria munia fungi nullumque – Deo dante – publicum peccatorem adesse. Idem dominus archipraesbyter humiliter suam illustrissimam et reverendissimam dominationem supplicavit ut sibi benigne concedere dignaretur facultatem ab hac cura, ex causis dominationi suae illustrissimae et reverendissimae patefactis, aliquo temporis spacio discedendi, prout benignitati suae videbitur et ita et cetera, omni et cetera. Qua supplicatione intellecta, illustrissimus et reverendissimus praesul, eidem benigne annuens, praedicto domino archipraesbytero concessit facultatem [70] discedendi a sua cura ad bimestre, mandans eidem relaxari mandatum licentiae in forma et cetera ad hoc et ita et cetera. Pro cuius decreti executione factum fuit mandatum infrascripti tenoris, videlicet. Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensids, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, dilecto nobis in Christo admodum reverendo domino Ioanni Ayroldi, arcipraesbytero Iebbethi huius diaecesis, salutem et cetera. Cognita a nobis legitima causa qua ex loco curae tibi commissae in praesens discedere compelleris, ut ab ipso loco discedere possis et abesse toties quoties eadem causa requirit licentiam tibi ad bimestre duraturam concedimus et impertimur. In quorum fidem et cetera. Datum ex pastoralis visitatione plebis Iebbethi die 7 mensis octobris 1744. Ioannes episcopus veronensis. Ioseph Bovio, pastoralis visitator notarius. Cum illustrissimus et reverendissimus praesul cognovisset quondam dominam Margheritam Cimerlinam Comini – in suo testamento diei 19 iulii 1723 in actis domini Alexandri Gianfilippi, cuius autenticum exemplar exhibitum, visum et restitutum fuit – reliquisse quaedam praedia sita in hac pertinentia Iebbethi, quae ad se spectabant, ut venderentur post mortem domini Iosephi Comini, viri sui et ut praetium eorum impenderetur, ducatis decem exceptis, solvendis [70^v] domino sindico huius communitatis, quem reliquit commissarium, in celebrari faciendis tot divinis officiis in ea ecclesia, ubi eius corpus tumularetur, interrogavit dominum archipraesbyterum num impleretur haec pia dispositio responditque olim fructus tantummodo huius pretii impensos fuisse in celebrandis divinis officiis, sed, cum super sanctum Montem pietatis Veronae nobilis dominus marchio Horatius de Sacramosio nuper deposuisset ducatos 763.3.15, ut apparet ex partita depositi ibidem in copia exhibita, visa et restituta, praetium scilicet eorum praediorum et fructus diversos, syndicus huius communitatis exinde curat ut ad normam eius piae institutionis pecunia haec impendatur. At vero dominus archipraesbyter obtulit librum foris inscriptum “1729 – Notarella delli officii della signora Margarita Cimerlina” in quo apparet ab eodem anno 1729 methodus qua divina officia celebrata fuerunt et qua elemosynae respective distributae fuerunt. Cum vero aliquando paucas missas privatas applicaverit praedictus dominus archipraesbyter et applicandas comiserit alicui ex concionatoribus qui in hac plebe conciones habuit, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus mandavit ut deinceps officia iuxta antedictam dispositionem celebrentur, approbans in reliquis methodum qua hucusque eadem dispositio impleta fuit et ita et cetera. Venerunt subinde Dominicus Zehinato syndicus et Ioannes Turazzo ac Dominicus Solfo reggentes huius communitatis, qui [71] interrogati de vita, moribus ac diligentia in proprio officio tam admodum reverendi domini archipraesbyteri quam suorum coadiutorum nec non sacerdotum et clericorum in hac plebe degentium et an ibidem sint publici peccatores, de omnibus ecclesiasticis recte responderunt nullumque publicum peccatorem in hac paroecia testati sunt. Reverendus dominus Petrus Gaspari, sacerdos curatus huius plebis annorum 48 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 28 aprilis 1744. Reverendus dominus Antonius Nalini, sacerdos annorum 54 circiter, curatus ecclesiae Sanctae Mariae, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 29 novembris 1743. Reverendus dominus Doninus Ferroni, sacerdos annorum 73, curatus ecclesiae Perzacchi, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die prima februarii 1744. Reverendus dominus Valentinus Manfrinetti, sacerdos annorum 50, curatus Voloni, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 23 iulii 1743. Reverendus dominus Ioannes Baptista Bardini, sacerdos annorum 35, curatus in contrata *del Bosco* nuncupata, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 21 mensis augusti 1744. Reverendus dominus Octavius Conti, sacerdos annorum 90 circiter. Reverendus dominus Franciscus Conti, sacerdos annorum 68 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato [71^v] die 7 februarii 1744. Reverendus dominus Ioannes Baptista Conti, sacerdos annorum 57, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 29 novembris 1743. Reverendus dominus Dominicus Campostrini, sacerdos annorum 37 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 7 februarii 1744. Reverendus dominus Ioannes Ferrari, sacerdos annorum 43 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 21 mensis augusti 1744. Reverendus dominus Hiacynthus Putini, sacerdos annorum 34 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 3 iulii 1744, quem monuit ut devote ac modeste adsit in ecclesia, ut evitet conventus secularium ac praesertim compotantium et denique ut abstineat

a coreis, non in illis coreizando neve illis interveniendo. Reverendus dominus Dominicus Fattorelli, sacerdos annorum 29 circiter. Reverendus dominus Thomas Gulielmoni, sacerdos: vocatus non comparuit, quia abest. Reverendus dominus Paulus Lazarini, sacerdos annorum 25 circiter. Reverendus dominus Antonius Porceleri, qui modo degit in loco Paludis. Reverendus dominus Iacobus Tonegati, sacerdos de Perzacco annorum 32 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 7 februarii 1744. Reverendus dominus Antonius Conti (Veronae degit), curatus ecclesiae Sancti Laurentii. [72] Reverendus dominus Simon Rizzotti, sacerdos annorum 44 circiter, degens in contrata Perzacchi, cappellanus in oratorio Campanae. Reverendus dominus Ioannes Maria Rizzotti, sacerdos de Sancta Maria Iebethi annorum 45 circiter ac in eodem loco degens. Clericus Dominicus Poltronieri annorum 38, vocatus agnomine Finalini, prima clericali tonsura insignitus ab anno circiter 1714. Cum vero illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, ex informata sua conscientia, cognovisset hunc clericum ecclesiasticis ministeriis minus aptum esse, protestatus est eum numquam se promoturum ad ordines ac hortatus est ut potius vestem clericalem dimittat. Clericus Franciscus Scarpetta annorum 22 circiter, in lectoratus ordine constitutus. Clericus Franciscus Garbelli annorum 22 circiter, in minoribus ordinibus constitutus. Clericus Ioannes Baptista Novarini, subdiaconus annorum 23 circiter. Carolus Brognoligo, heremita inserviens parochiali ecclesiae Iebethi, qui monitus fuit ut obtineat testimoniales ab hac curia. Caeteri superscripti sacerdotes et clerici, debito obsequio, illustrissimo et reverendissimo praesuli eorum mandata ordinum et ad curam animarum respective obtulerunt. Venerunt denique vocatae: Tuscana relicta quondam Laurentii Menegotti de Sancta Maria; [72^v] Dominica uxor Thomae Manganoto de plebe Iebethi; Dominica uxor Dominici Busti de plebe Iebethi et Peregrina relicta quondam Schiavi de Perzacco: omnes obstetrices, quae examinatae circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus necessitatis et bene edoctas esse se ostenderunt. Cum, ut supra, in visitatione sanctissimi Sacramenti duos audisset esse inobedientes praecepto paschali, vocavit dominum archipraesbyterum ut hos praesentaret coram se; qui respondit unum ex his, hoc ipso tempore infirmitate percussus a Deo, sub flagellis cor non obdurasse, sed vera poenitentia suos excessus ac innobedientiam detestatum et reconciliatum iam esse; alterum vero ipse domino archipraesbytero praesentavit, quem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus paterna caritate ita monuit ut rescipientiam ipse ostenderet promitteretque se non modo pariturum praeceptis ecclesiae, sed frequenter ad sacramenta accessurum. Hisce omnibus peractis, prandium sumpsit. Die antedicta 7 mensis octobris 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus descendit in parochialem ecclesiam antedictam, in qua adorato sanctissimo Sacramento, sedit in throno iussitque mihi notario publicari decretum suum, tenoris infrascripti, videlicet. [73] Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, dilectis in Christo filiis, admodum reverendo archipraesbytero plebis Iebethi vicario foraneo et reverendis rectoribus, curatis, sacerdotibus et clericis eidem plebi seu vicariae subiectis, in Domino salutem sempiternam et nostris firmiter obedire mandatis. Pastoralis officii nostri praecipuum munus esse gregem a magno Pastore Christo Iesu nobis commissum pascere, ut, si quid infirmum esset, consolidemus; si quid aegrotum, sanemus aut alligemus confractum, aut, si quid perierat, queramus, divinis monitis iam didicimus. Vae nobis si, dum sumus speculatores constituti, gregem nostrum cognoscere neglexerimus aut non fuerimus vigiles super familiam quam custodiendam bonus Pater familias nobis tradidit. Ea propter ad hanc dilectissimi gregis nostri portionem cognoscendam accessimus, nulli vitae incomodo aut labori parcentes atque oves istas et sacramentorum pabulo nutrivimus et sermonibus nostris, tum e suggestu tum ex cathedra, ad religionis christianae dogmata cognoscenda ac suave iugum Christi subeundum Deoque immortalis pie sancteque, diebus praesertim festis, religiosum cultum exhibendum in Domino hortati sumus atque etiam praesentes ecclesiarum fere omnium conditionem observavimus et sacra quae in hisce locis florent instituta omne huius nostrae pastoralis visitationis constitutum [73^v] tempus ad id impendentes et occupantes. In hoc agro, quem excollere aggressi sumus, quantum pro viribus nobis licuit, plantavimus eumque rigavimus, at nunc fortasse illum ellecto frumenti semine ditatum, cum hinc discesserimus, inimicus homo zizaniis superseminabit! Vos igitur aeterni summique Sacerdotis ministri, qui in partes sollicitudinis nostrae vocati missique fuistis obsecro obstestorque, filii carissimi, in Domino ut preces ex corde puro offeratis Deo, ut ipse iis quae plantavimus aut rigavimus incrementum det ac ut vigiletis ne paleae in area ista frumento admisceantur, sed ut omnes eam nuptialem vestem, quam sacramentorum ministerio in sanguine Agni dealbaverunt, in hoc celebri Sponsi convivio servant atque perfecta charitate custodiant. Vestrum est illos monere, verba salutis aeternae illis tradere et divinis misteriis ipsos aedificare. Oportet vos etiam orationi intentos esse, qui pro populo inter vestibulum et altare ad plorandum ellecti fuistis. Id vero in primis dignitatis vestre conditionis est ut pudici, casti ac sobrii sitis et sine crimine atque

irreprehensibiles, ne fortasse, dum aliis praedicaveritis, alicui ex vobis quin obiciat “medice cura te ipsum”, neve demum reprobi efficiamini miserime. Qui vero ex sacerdotali vestro coetu curam animarum gerit, divino se se praecepto ad oviculas sibi commissas pascendas ex ipsa sacrorum canonum traditione teneri meminerit, cui [74] praecepto illi minime obediunt nisi in loco curae ab eis exercendae continuo ressideant; ex quo patres tridentini Concilii monuerunt parochos qui, mercenariorum more, absque legitima causa et absque episcopali licentia curam deserunt, peccati mortalis reos esse, fructus pro rato temporis quo absunt, minime suos facere et restituendos ipsos esse. Hortamur igitur ne officio vestro deficiatis, sedulo pascentes gregem, non quaerentes quae vestra sunt, sed quae Iesu Christi. Omnes autem qui clericali militiae nomen iam dedistis, perpendite, vobis in saecularibus negotiis implicari non licere, quoniam Deo militare vos decet; neque enim ita electi fuistis ut ad iocum et otium, vel ad quaestus saeculares facti esse videamini, sed ad religionem potius et ad fratrum vestrorum aedificationem. Talenta quae vos, o ministri Christi, iam accepistis, cum lucro aeterno Iudici reddenda sunt; videte itaque ne tota die otiosi stetis, eo praesertim tempore cum in ecclesia divina misteria celebrantur vel catechesis exercetur, vino interea scurilitati quae ad rem non pertinet, aut ludis etiam ecclesiastica lege vetitis vacantes et in iis tripudia etiam celebrantes. Ipse quoque habitus vester religiosi animi pudicitiam et gravitatem praeserferat, sicut decet ministros Deo addictos, ut omnibus venerandi videamini. Quod, si ubique id vobis praestandum est, in ecclesia praesertim convenienti habitu adesse divinis officiis vobis sacrorum [74^v] canonum auctoritate commissum fuit. Quibus etiam et pontificiis nec non episcopalibus constitutionibus saepius moniti vos fuistis, ut ritus ab ecclesia traditus et ordo a maioribus nostris constitutus in sacris ministeriis a vobismet observetur. Confidentes in vestra obedientia, haec vobis significare decrevimus, scientes quoniam et super id quod vobis dicimus facietis. Hortamur nihilominus vos, per caritatem Iesu Christi pro quo legatione fungimur, ut monitis hisce nostris obediens in sancto proposito stabiles sitis, abundantes in opere Dei, scientes quod labor vester non erit inanis. Si quis autem ex vobis, quod vix credimus, caelestium aeternorumque bonorum spe minus ad haec peragenda moveatur, nos de superius a nobis praescriptis auctoritate nostra illum monemus illaque omnia et singula ab ipso praestanda in virtute sanctae obedientiae eidem praecipimus, declarantes et prohibentes ne aliquis qui ad animarum curam tenetur a loco eiusdem suae curae, sine licentia nostra vel vicarii nostri generalis, discedat; contra quem, prout eius inobedientia et contumacia cognoscetur, iuris remediis usque ad benefitii privationem procedemus. Si quis autem sacerdos aut clericus huius plebis aut vicariae suum nomen scholae doctrinae christianae eius paroeciae, in qua inhabitat, dare ac huiusmodi religiosum piumque [75] opus, sicut in eo visitando dominica die elapsa ordinavimus et constituimus, solerter, nisi legitimo impedimento excusetur, frequentare detrectaverit aut si eadem diligentia ad functiones ecclesiasticas non accesserit, aut sacrificium missae celebrando, aut in choro ressidendo, aut munera alia ecclesiastica peragendo, veste talari et superpeliceo respective ornatus non fuerit, illum iterum canonica forma monemus, poenis contra huiusmodi contumaces a praedecessoribus nostris Petro Leono in visitatione huius plebis anno 1696 et Marco Gradonico in altera 1716 statutis, quas confirmamus et innovamus, processuri. Praeterea prohibemus ne parocus aliquis de huius generis inobedientibus testimonium quodcumque scribat; si vero scripserit, cum ex praedecessorum nostrorum decretis haec testimonia iuramento firmata esse oporteat, hunc parocum quem iurisiurandi religionem ab usum cognoverimus, ut periurum poenis canonicis multabimus. Vicarium vero foraneum qui testimonia haec iis inobedientibus dederit, vicariatus munere privabimus. Quod nuper in hac visitatione decrevimus de sepulcro in hebdomada maiori, de confessionibus non audiendis mulierum in oratoriis Sancti Ioseph, Beatae Mariae Virginis (ubi est societas Sexaginta Virginum) et Sancti Antonii patavini, societatis bonae Mortis, de scamnis procul ab altaribus removendis, ne aliquem pateat iterum [75^v] significamus easdem penas respective confirmando. Is porro qui sine talari veste in choro ressidens erit, aut missam celebraverit, sit ipso facto a divinis suspensus; in celebrandis missis festis diebus ordo a sacerdotibus servetur, prout a parochis iuxta intentionem praedecessorum nostrorum constituetur. Si aliquis huic ordini non acquieverit, ab omnibus emolumentis funerum et officiorum excludatur. Eorumdem nostrorum praedecessorum Petri Leoni et Marci Gradonico decretis inhaerentes, sacerdotes quoad praedicta emolumenta distribuenda clericis praeferantur et inter sacerdotes ii alii praeferendi qui in cura animarum parochis coadiuvant, ita tamen ut, ex iis, diligentiores tum in frequentanda schola doctrinae christianae, tum in aliis curae aut ecclesiae functionibus a parochis praeferri debeant. Nemo qui praesens non sit et in choro ressidens cum officia persolvuntur, suam facere eleemosynam tuta conscientia poterit, nisi alter sacerdos eius vices sustinuerit. Prohibemus omnino et interdicens sacerdotibus et clericis quibuscumque choreas ducere cum mulieribus aut choreis interesse, conventus etiam adire ubi alearum lusus ita frequens est ut ibidem profiteri videatur, aut cauponas aut alia loca ubi compotantium coetus esse solet et incedere alio colore indutos quam nigro. Si quis hisce [76] non

obedierit, eius contumaciam poenis a maioribus nostris constitutis coercebimus et praeterea, si ad confessiones audiendas approbatus fuerit, approbationem non confirmabimus; si simplex sacerdos, a divinis suspendemus; si clericus, ad maiores ordines non promovebimus. Haec vobis significare caritas Christi, qua nos urgeri sentimus, suasit ac fere impulit. Videte tamen ne magis vos a contumacia temporalis penae timor coerceat quam aeternae. Iram potius Agni timete, qui sedens super thronum scrutabitur Hierusalem in lucernis et manifestabit vestrorum cordium consilia. Dirigite igitur vias vestras et studia vestra ne vos proiciat a facie sua. Perfecti estote; idem sapite; pacem habete et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum per Iesum Christum, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen. In quorum fidem et cetera. Datum ex pastoralis nostrae visitatione venerabilis plebis Iebeti die 7 octobris 1744. Ioannes episcopus veronensis. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis notarius. Quo publicato, ecclesiam ipsam visitavit, divo Petro apostolorum principi dicatam, quae est plebs habetque clericos portionantes seu portiones clericales, numero 29 estque consecrata et anniversaria consecrationis dies collitur die 3 maii subestque iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini, [76^v] viditque in ea organa et suggestum, in quo concionatur tempore quadragesimali diebus dominicis et festivis ac feriis secunda, quarta et sexta et concionator eligitur alternatim ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo et communitate, cui haec erogat stipem ducatorum triginta et munus suum exercet cum mandato et benedictione episcopali. Concionatur etiam tempore Adventus et concionator eligitur a domino archipraesbytero et communitas erogat stipem ducatorum quinque et Concionator colligit etiam eleemosynas, quas in concionibus comendat. Vidit etiam campanile cum duabus campanis nec non chorum cum scamnis ex nuce. Posthaec, factis prius infrascriptis ordinationibus, pro defunctis oravit et visitationem huius plebis, cleri et populi Iebeti in Domino absolvit. Ordinata. Ossa mortuorum, quae collecta posita sunt iuxta ianuam per quam ingreditur coemeterium, statim in eodem seppelliantur – purgetur coemeterium ab immunditiis quae sunt in angulo prope sacristiam et vigilet dominus archipraesbyter moneatque ne quis ibidem immunditias egerat – herbae et arbusta omnino ab eodem coemeterio eradicentur et statim comburantur earumque cinis per ipsum coemeterium spargatur ac praeterea terra ligone [77] vertatur, ut herbae non sucrescant, sed omnino idem coemeterium ab herbis sit mundum – rastrum, quod est ad portam muri quo cingitur coemeterium, sera et clavi tuta muniatur – tabernaculum intus omni ex parte vestiatur panno serico albo nec non retro eius ostium – quoties deferendum est Sacramentum ad infirmos non ita procul ab ecclesia, sive deferatur a domino archipraesbytero sive a quocumque alio sacerdote, sub baldachino, non vero sub umbella deferatur, nam honor huiusmodi non personae a qua defertur, sed augustissimo Sacramento est tribuendus – sepulcrum in hebdomada maiori cum divino Sacramento nullo modo fiat extra ecclesiam parochialem et, quatenus vel ipse dominus archipraesbyter vel quicumque alius sacerdos, sive de eius licentia sive non, alibi extra ipsam ecclesiam sepulcrum fecerit, sit ipso facto absque alia declaratione a divinis suspensus – provideatur de minori pixide, rite confecta – amygdala ita aptetur ut tuto sit clausa – signa sero cum campanis dentur pro communiione infirmorum sequenti die facienda – reverendus sacrista reddat rationem de elemosynis collectis pro expositione Sacramenti de anno in annum et omnes impendantur pro ipsa Sacramenti expositione; [77^v] si vero aliquid supererit, tradatur societati sanctissimi Sacramenti, exceptis ceris quae, absoluto tempore expositionis praedictae, supererint cedant beneficio altaris maioris, nisi eleemosynae ita foratasse sint exiguae ut necesse sit cereos ipsos servare pro anno subsequente, ut expositio eodem modo continetur – quotiescumque cum Sacramento benedicitur populus, sive ab archipraesbytero sive ab alio sacerdote eius vices gerente, sacerdoti benedicienti adsint ministri cum dalmaticis, ut debito honore et convenienti ritu functio persolvatur – eleemosynae quae, ut supra, colliguntur quoties communicantur infirmi nec non illae quae a piis hominibus offeruntur, in capsula in qua inscriptio est “Pro Sanctissimo Sacramento” atque quaecumque aliae eleemosynae quae colliguntur vel recipiuntur intuitu cultus divini praedicti Sacramenti omnes tradantur capserio societatis Corporis Christi, ut impendantur iuxta eius institutum pro luminibus et suppellectilibus, praesertim inservientibus ad eius venerationem – rimae quae patent in ciborio fontis baptismalis omnino claudantur et ciborium cooperiatur conopeo ex serico vel saltem medio serico, quod tamen sit violacei coloris – crates primorum duorum confessionalium removeantur et novae cum foraminibus spissioribus et minoribus [78] apponantur et interim illud in cornu evangelii altaris maioris sit suspensum – altare maius provideatur de tela nova cerata qua tota mensa cooperiatur et altare ipsum purgetur a pulvere – removeantur scamna ex nuce quae sunt in praesbyterio et reponantur ante praesbyterium ipsum, ita tamen ut distent ab eius gradibus quatuor pedibus et in praesbyterio numquam collocentur alia scamna – provideatur portatile altaris sanctae Tuscanae de tela cerata, qua cooperiatur – exequatur ordinatio praecedentis visitationis de instauranda crate sub qua custodiuntur reliquiae sanctae Tuscanae – altare Corporis Christi provideatur de tabellis eiusque portatile tela cerata cooperiatur – provideatur de tabellis

omnibus pro diebus solemnioribus altare beatæ Virginis Mariæ Veteris seu sanctorum Rochi et Sebastiani illiusque portatile cooperiatur tela cerata – provideatur de tela cerata qua tota mensa altaris sancti Ioannis Baptistæ cooperiatur – sarciatur pallium ex chorio altaris sanctæ Catherinæ seu aliud sericum coronæ circa idem pallium aptetur – rimæ circa portatile ipsius altaris obturentur – removeatur ab altari prædicto machina lignea super ipsum posita, in cuius medio est imago beatæ Virginis Mariæ a Pietate et eius loco ponatur tabernaculum vetus ligneum [78^v] inauratum quod erat in altari maiori antequam fieret marmoreum, ad hoc ut ibidem quoties opus fuerit reponatur sanctissimum Sacramentum et, quatenus et cetera, etiam in maiori hebdomada – suppedaneum novum collocetur ad ipsum altare – portatile altaris sancti Stephani provideatur de tela cerata ac pavimentum ipsius altaris adequetur – duo erigantur confessionalia stabilia a lateribus ianua maioris ecclesiæ et inde ammoveantur scamna quæ impediunt ipsum locum – quoties quis sacerdos celebravit in hac ecclesia, non modo ipse describat nomen suum in libro sacristiæ, sed etiam declaret pro qua obligatione missam applicaverit, ita ut, si quis ita non declaraverit, non possit prætere eleemosynam missæ celebratæ – provideatur de sex pelvibus pro urceolis – partitæ matrimoniorum describantur respective vel a domino archipraesbytero vel ab eius curato propria eorum manu – in libro congregationum et in quacumque sessione describatur cuiuscumque qui tenetur interesse praesentia vel absentia, ad hoc ut ex eo libro desumat dominus archipresbyter methodum ad testimonia respective relaxanda.

Egrediens ex ecclesia parochiali Iebet, vidit in executionem sui decreti superius emanati scamna et sedilia [79] proxima altaribus supradscriptis breviora ita esse facta ut distent ab inferioribus gradibus eorundem altarium tribus pedibus; quapropter comendavit maxime obedientiam animumque religiosum omnium qui ea scamna possident ac deinde domino sindico communitatis inculcavit executionem prædicti decreti quoad breviores item cancellos marmoreos reducendos et quoad scamna amovenda quæ impediunt additum ad baptisterium et ad hoc ut construi possint confessionalia in locis constitutis a lateribus ianua maioris promissumque certum ab eo accepit se illico pariturum decreto suæ illustrissimæ et reverendissimæ dominationis. Egressus ex ecclesia Iebet receptisque a reverendo archipraesbytero, clero, principalioribus et populo ipsius loci devenerationis et obsequii monumentis, rhedam suam cum suo comitatu conscendit praecedentibusque tubicinis et principalioribus prædictæ communitatis equitantibus, subsequentibus vero nobilibus dominis Horatio Petro et Iosepho filio de marchionibus Sacramosio caeterisque suis familiaribus, Raldonum versus iter contendit. Non procul a parochiali obvius habuit reverendum rectorem, clerum, scolam doctrinæ christianæ et confratres societatis sacrarum Stigmatum Raldoni prædicti, suis cappis indutos, processionaliter incedentes et divinas laudes decantantes iisque omnibus praecedentibus, e rheda descensus et sub baldachino a quatuor sacerdotibus gestato receptus, iter prosecutus est usque ad

[79^v] [A margine: RALDON] edes domini Philippi Cariola, civis veronensis, conductas ab illustrissimo domino Francisco Carolo Boschetti, collateralis Veronæ, a quo humilime fuit deveneratus, ad id ob angustiam domus parochialis paratas, in quibus receptus parumper quievit. Omnibus interea paratis in ecclesia, longioribus episcopalibus vestibibus indutus, ad portas aedium prædictarum descendit ibidemque sub baldachino a quatuor sacerdotibus delato receptus, super pulvinaribus stratis, crucem sibi a reverendo rectore pluviali induto oblatam adoratus et deosculatus est. Clero interea processionaliter praeunte et solita decantante, illustrissimus et reverendissimus praesul ecclesiam parochialem Raldoni prædicti adivit, in cuius limine sistens aqua lustrali, aspergillo accepto ab eodem reverendo rectore, populum aspersit et thurificationis honorem recepit. Ante altare maius genuflexus, divinum Sacramentum adoravit recitatisque de more recitandis, altare ipsum conscendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impertitus est. Porro ad thronum sibi in latere evangelii altaris maioris decenter paratum venit, in quo sacris pontificalibus violacei coloris indumentis vestitus, exequias pro defunctis tam in ecclesia quam in coemeterio eidem contiguo, quod etiam visitavit, persolvit. Persolutis exequiis dimissisque violacei coloris sacris indumentis albisque sumptis praemissisque debitis adoratione, [80] hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, in pixide argentea in cupa et operculo, in pede ex auricalco argento linito et in tabernaculo ligneo sub sera et clavi, quæ est argentea, servatum et tute custoditum. Vidit amygdalam argenteam intus inauratam nec non ostensorium radiatum argenteum, rite instructum. Ex factis perquisitionibus, habuit hoc Sacramentum debitis temporibus renovari; dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicare; sub hac cura adesse animas a communionem 274, in totum vero 404 nullumque – Dei gratia – inobedientem ecclesiæ præceptis; adesse suppellectiles necessarias pro associando eodem Sacramento divino ad infirmos, quæ descriptæ sunt in pollicea, quam, una cum aliis, reverendus rector pro executione aedicti praesentis visitationis obtulit et in fine huius libri ego notarius posui ad litteram H nec non quatuor intortitia, quæ suppedantantur a societatibus, scilicet duo a singulis; suppellectiles autem comparatæ fuerunt

ab hominibus Raldoni, a quibus etiam manentur. Lampadem continuo ardere et oleum, prout etiam cereae pro altari maiori, suppeditantur a societate Corporis Domini. Processionem fieri in die Corporis Domini et prima die mensis maii; [80^v] expositionem vero peragi quolibet die festo tempore quadragesimali et prima dominica cuiuslibet mensis a festo sanctae Crucis mensis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis mensis septembris. Populo subinde eodem Sacramento benedixit: Reposito divino Sacramento, visitavit olea sancta, in capsula ex nuce sera et clavi munita et in loculo in cornu evangelii altaris maioris sera et clavi munito rite instructo, tute custodita. Vidit vascula maiora ex stamno, in quibus recipiuntur eadem olea a plebe Iebeti nec non vascula minora, quoque stamnea, cum oleis sanctis, infirmorum scilicet, Chrismatis et cathecumenorum. Ad locum baptisterii pergens, observavit scamna adesse quae impediunt additum ad ipsum et ideo decrevit ut infra. Visitavit fontem baptismalem, in cappellula iuxta ianuam maiorem ecclesiae situm, rastris sera et clavi munitis clausum et bene tentum. Vidit duo confessionalia, unum stabile et alterum mobile, rite instructa. Visitavit etiam altare maius, ligneum cum portatili et icone, in prospectu chori depicto, in quo altari nulla est obligatio missarum, sed in eo reverendus rector celebrat et diebus festis pro populo applicat. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus non modo observavit ordinationes [81] praecedentis visitationis executas in hoc altari, verum etiam ex hominum Raldoni, prout debent, pietate, solertia et cura, illud ita ornatum ut nihil deficere divino cultui videatur. Altare sanctissimi Rosarii, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure societatis sub eodem titulo, quae ex praecedenti visitatione inuitur canonice erecta nullosque habet redditus neque onera, sed ex eleemosynis hoc altare manenet. Altare beatae Virginis Mariae, marmoreum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis ex ligno sculpta, quod ex piorum eleemosynis manenetur et in quo nulla est obligatio missarum. Hoc altare erigere incepit comes Antonius Maria Bevilaqua Lazise et ipsum ex eius testamento perfectum fuit anno 1689, ut apparet ex inscriptione quae legitur in capite eius altaris; nunc vero derelictum habet hoc altare nobilis dominus comes Claudius Bevilaqua Lazise, haeres seu successor praedicti comitis Antonii, ita ut ex horum villicorum caritate manentur. [A margine: Sant'Antonio] Visitavit subinde publicum oratorium sub titulo Sancti Antonii seu Sacrarum Stigmatum, de ratione confraternitatis sub eodem titulo, a qua manentur. Unicum habet altare, marmoreum cum portatili et icone depicto. Societas praedicta canonice erecta asseritur in praecedenti [81^v] visitatione; nullos habet redditus nullamque missarum obligationem. Confratres huius societatis sunt modo sexaginta quatuor circiter et induunt cappas obscuri coloris et singulis diebus festis huc conveniunt ad recitandum officium beatae Virginis Mariae aliasque preces persolvendas, iuxta eorum institutum; interveniunt etiam processionibus ab eorum reverendo rectore indictis. Quibus peractis, in aedes antedictas, iam defatigatus, pius praesul se se restituit et incoenatus somno se dedit. Die iovis 8 mensis octobris 1744. Reverendissimus dominus provicarius generalis, facto mane, una cum me notario, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta. Et primum [a margine: San Vincenzo] visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Vincentii, infra limites parochialis ecclesiae Raldoni, de iure heredum quondam domini Caietani Maffei viditque in eo unicum altare, marmoreum in mensa cum portatili et icone in muro depicto, in reliquis ligneum quodque vidit de omnibus destitutum et relatam fuit a domino Bernardino Grizzi, viro dominae Franciscae Maffei, unius ex haeredibus praedictis, nullam existere dotem huiusmet oratorii, neque scire quomodo olim dotatum fuerit aut quae capitalia sint eius doti obnoxia. Ordinata. Novum portatile ad mensuram canonicam in altari ponatur - [82] Icon novus decenter pictus ibidem collocetur – altare ornetur candelabris, floribus et tabellis – pavimento huius oratorii parumper attollatur, ne humiditati subiaceat – erigatur nova sacristia et apparatus necessarii ad sacrificium missae celebrandum aliisque omnibus, prout sacri ritus praecipiant, instruat – termino unius anni executioni mandentur suprascripta omnia per quos spectat; aliter, eodem termino elapso et non parito, oratorium ipsum sit suspensum, prout nunc ex tunc suspendit et suspensum declaravit – haeredes praedicti curent ut cognoscere possint qua dote hoc idem oratorium donatum fuerit et ut via iuris dotem ipsam, si fieri possit, recuperent, eorum conscientiam ad hoc onerando. Quibus habitis. [A margine: Beata Vergine Maria del Rosario] Visitavit publicum oratorium sub titulo Beatae Virginis Mariae a Rosario et Sancti Vincentii Ferrerii, in contrata Pampalunae infra limites parochialis Raldoni, de iure dominorum reverendorum Dominici et Antonii fratrum Floriani, quod unicum habet altare, marmoreum cum portatili et icone depicto. Super gradus a candelabris in custodia marmorea, ad hoc tantummodo constructa, vidit sacram reliquiam ex sacris ossibus sancti Vincentii Ferrerii, in theca argentea ovalis formae, cum crystallo in anteriori parte, sigillo et litteris [82^v] illustrissimi et reverendissimi domini domini Anastasii de Lion, archiepiscopi Cesareae Palaestinae diei 15 septembris 1737, in hac curia recognitam die 27 septembris 1743. Visitantibus hoc oratorium die secunda dominica octobris concessa est indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico diei 28 maii 1742, ad septennium dato et in hac curia viso die 20 iulii eiusdem anni 1742. Vidit apparatus et vasa

